




7043. v. D. 6. 2.


V

{









Vodnik.

1798.

100  
100  
100

100  
100  
100

*HYGIENE,*

Seù

**DISSERTATIONES**

*Philosophico-Medicæ*

*De*

*AERE, CIBO, & POTU,*

*Quatenus sanitatem conservare,  
vel morbos inducere  
solent.*

*Wolfgangi Andreæ Vidmayeri*

*Carn. Labac. Phil. & Med. Doctoris,*

*nec non inclyti Ducatus Carniolie*

*Physici, & Medici.*

*Cum Licentiâ Superiorum.*

*LABACI,*



*ZU  
LYCÉE  
BIBLIOTHEQUE*

*Typis Josephi Thaddæi Maybach  
inclytæ provinciæ Carnioliae  
Typographi.*

*Anno M. DC. XCII.*

26

# 1822 EDITION

Lipidopeptide-Mycotoxin

26

ALKALOIDIC COMPOUNDS

Macrolactam polyketides coumarins

Terpenoids and triterpenoids

Polypeptides

Phenylpropanoids, Phenylpropanoic Acids

Flavonoids, Flavonol Glycosides, Naphthoquinones

Phenylpropanoic Acids, Phenylpropanoic Acid Derivatives

Terpenoids, Phenylpropanoic Acids

Coumarins, Substituted

---

1. Aromatic

Phenylpropanoids, Phenylpropanoic Acids, Phenylpropanoic Acid Derivatives

Flavonoids, Flavonol Glycosides, Naphthoquinones

Phenylpropanoic Acids, Phenylpropanoic Acid Derivatives

Terpenoids, Phenylpropanoic Acids

IN-030007485

**C E L S I S S I M O**  
Sac. Rom. Imp. PRINCIPI  
**D O M I N O D O M I N O**  
**J O A N N I A N T O N I O**  
**J O S E P H O**

Duci Crumoviæ , Principi ab  
Eggenberg,&c.&c. Inlyti Ducatus  
Carnioliae Capitaneo.

*Excellētissimō, & Illūstrissimō*

**D O M I N O D O M I N O**

**G E O R G I O S I G I S M U N D O**

S. R. I. Comiti, & Domino de  
Gallenberg &c.&c. Sac. Cæl. Maj. inti-  
mo Consiliario, Camerario, Prætori,  
& locum tenenti.

*Illūstrissimō*

**D O M I N O D O M I N O**

**W O L F F G A N G O**

**E N G E L B E R T O**

S. R. I. Com. in Auersperg &c.&c.  
Marechalcho.

Nec non  
Reverendiss. & Illustrissimis  
DOMINIS DOMINIS,  
Illustrissimo  
DOMINO DOMINO  
JOANNI HER WARDO  
S.R.I.Com. ab Auersperg &c. &c.  
Præsidi,

*Et*

Dn. Dn. DEPUTATIS &c. &c.  
PATRIBUS, CORONÆ, ET  
FELICITATI PATRIÆ &c. &c.



Ygiejam Ælcula-  
pii filiam manu  
dextrâ serpentē,  
sinistrâ pateram  
geren-

gerentem D. Carolus Pati-  
nus Medicinæ Doctor de  
Numismatibus Romanis dis-  
serens eò exponit , Veteres  
salutem, ac Regionis tempe-  
riem demonstrare voluisse.  
Disserturus ego de his, quæ  
ad sanitatem conducunt, te-  
nuem hunc manipulum  
meum messis meæ VOBIS  
CELSISSIONE PRIN-  
CEPS, EXCELLENTIS-  
SIMI, & ILLUSTRISSI-  
MI COMITES, & DOMI-  
NI DOMINI per Hygie-  
jam offerre prælummo , quod  
etenim Numen hodiè inge-

nisi magis propitium ? nisi  
VESTRO sub Horoscopo  
felicissimo edenda studia, ac  
conatus in publicum pro-  
movendi. VOS etenim  
Musas, quas hæreditario ju-  
re possidetis, inter assiduas  
publici boni curas fovetis.

- - Nam prudenti, est Medicina  
saluti.

Quis ergò VOS solidissi-  
ma Patriæ, & boni publici  
firmamenta negaverit? Un-  
dè omnis incolmitas pen-  
det, & inauguratur felicitas.  
Et cùm ita sit, non tam co-  
natus mei messem eventus  
prof.

prosperos: quām etiam Te-  
ste Julio ex inditā naturæ le-  
ge vitam iis omnem debea-  
mus; in quorum, & terrâ naſ-  
cimur, & tutellâ enutrimur.  
**V O B I S** hic manipulus æ-  
quissimè ſtitur, ac qualis-  
cunquè fit, debetur; quia in  
agro crevit **VESTRO**, le-  
vis ſi videtur, addite ei pon-  
dus Authoritatis **VESTRÆ**.  
**Quapropter CEL.SISSIME**  
**PRINCEPS, EXCELLEN-**  
**TISSI MI, AC ILLUS-**  
**TRISSIONI DOMINI DO-**  
**MINI MÆCENATES**  
hunc meum conatum , te-

nuequè in limine professio-  
nis meæ tentatum opus eâ  
benevoli animi expressione,  
quâ soletis, fuscipite, ulterio-  
riquè gratiarum vestrarum  
favore benignè intuemini.  
**Ita humilitèr precatur**

*Celsitudinis Vestræ, Excellentiæ,*  
*Reverendiss. & Illustrium*  
*D.D. V.V.*

demissimus servus, & cliens

Wolfgangus Andreas Vidmayerus  
M. D.



## AD LECTOREM BENEVOLUM.

**H**abes hic Candide Le-  
ctor primum ingenij  
mei partum, opuscu-  
lum de Aëre, Cibo, &  
Potu, materiam, uti mibi polliceor,  
& utilem, & lectu Curiosam, sed  
an omnibus charam, tempore intel-  
ligam; cùm tritum sit: non omni-  
bus omnia placent. Hanc non,  
ut viris nostri ævi eruditissimis nor-  
mam traderem, sed ut ab ijs edisce-  
rem, contuli, publici juris factu-  
rus. Sed ecce, ad solum editionis  
rumorem conatus meos malignitas

excepit, eorum in primis, qui propriâ laborant intemperie, cùm nec lecto libello ausi sint calumnias affigere: sapient illi sibi, ut volunt, tamen à proposito me non retrahent; cùm pluribus operam meam probari noverim, ijs præsertim, qui lemoto præpostero livore candidè de cæteris sentiunt, & conatum meum ad editionem promovendum sanè suasere; his obtemperans sine morâ ad publicandum animum appellere debui, spernens ex æquo obnoxium semper probis malignitatis sibilum. Qui si & ipsi, (quamvis mea car-  
pant) simile quid præstiterint, & arcana ingenij, ac experimentorum proprietatum specimina tandem publica fecerint, sanè eos ego laude dignos, & in pretio babebo. Hæc te LECTOR nescire nolui,

ac ut non ex aliorum calculo, sed  
ex tuo judicio de meis statuas. Rogo itaque, hæc hilari fronte accipe,  
ac si quid inter scribendum,  
aut excudendum errati irrepserit,  
Benignus Corrige. Si vero quædam minus deducta, ac imperfecta  
compereris? cogita, non omnia  
possimus omnes: tūm ex his me-  
liora collige. Si etenim hoc tibi  
gratum, & acceptum fuisse per-  
spexero; eò conferam vires meas,  
ut palato tuo non ingrata promam,  
ac ulterius indagando gratiora ede-  
re valeam. Interim his fruē-  
re, ac Vale.





INDEX  
DISSERTATIONUM  
DE AERE.

*Dissertatio I.*

**Q**uid sit Aër Pag. 1

*Dissertatio II.*

An aër sit calidus & humidus 3

*Dissertatio III.*

Per quas vias aër in corpus nostrum ingrediatur, & quem in usum, ac finem introitus aëris instituatur 6

*Dissertatio IV.*

Quis aër optimus, & saluberrimus judicetur? quis pessimus maximèquè noxious 11

*Dissertatio V.*

Quot aëris Regiones, quantæ, & quales sint 16

*Dis-*

*Dissertatio VI.*

An aër revera, & propriè loquendo pū-  
trefcat

23

*Dissertatio VII.*

Aër, si in primis quatuor qualitatibus,  
atquè etiam in occultis excedit,  
quomodò temperandus, nec non  
quomodo hominis corpus afficiat

31

*Dissertatio VIII.*

An terræ natura, montes, venti, syl-  
væ, nec non aquæ, mare, & paludes  
vim aliquam habeant ad aëris con-  
stitutionem producendam

37

*Dissertatio IX.*

An ad aëris mutationem referantur  
maligni syderum influxus, & an iidem  
corpora viventium afficiant

47

*Dissertatio X.*

An anni tempora quasdam in aëre mu-  
tationes cieant

57

*Differ-*

*Dissertatio XI.*

An ex aëris dispositione , quæ omnino  
est sub diversis climatibus cæli di-  
versa , oriatur in hominibus comple-  
xionum diversitas

65

*Dissertatio XII.*

An aër ad inducendos morbos majo-  
rem vim habeat , quam cibus , & po-  
tus

76

---

DE CIBO.

*Dissertatio I.*

Quid sit cibus , quid medicamen-  
tum , quid venenum , & quomo-  
do hæc inter se differant

83

*Dissertatio II.*

Quis est cibi usus , & quænam in eo po-  
tissimum consideranda sunt

91

*Dissertatio III.*

Quis cibus judicatur bonus , & salubris ,  
quis malus & insalubris

93

*Differ-*

*Dissertatio IV.*

An detur aliqua generalis in moderatâ  
ciborum quantitate Regula 100

*Dissertatio V.*

An in usu ciborum aliquis sit ordo ob-  
servandus, ita ut alii prius, alii poste-  
rius; alii rectius in prandio, alii con-  
venientius in cænâ assumantur 109

*Dissertatio VI.*

An sanitati conservandæ conducat  
prius bibere in pastu consueto, & or-  
dinario, quam comedere 114

*Dissertatio VII.*

An cibus simplex melior, & salubrior,  
an varius & multiplex 117

*Dissertatio VIII.*

An sanitati utilius sit semel, bis, aut læ-  
pius de die comedere 123

*Dissertatio IX.*

An determinatum tempus in cibo ca-  
piendo observare sanitati conducat

138

*Differ-*

*Dissertatio X.*

An certo temporis spatio in ventriculo peragatur concoctio 144

*Dissertatio XI.*

An coctio melius noctu, quam interdiu; in somno, quam vigiliis perficiatur 152

*Dissertatio XII.*

An prandium, vel cæna largior esse debet 160

*Dissertatio XIII.*

An cuivis ætati, & anni tempori eadem victus ratio conveniat 168

*Dissertatio XIV.*

An consuetudo, & delectatio in alimentorum usu servanda, vel mutanda 183

*Dissertatio XV.*

An ex bono cibo generari possit chylus, & chymus malus 190

*Differ-*

*Dissertatio. XVI.*

- An homini magis noceat fames, an in-  
gluvies, seu immodica ciborum in-  
gurgitatio 193

*Dissertatio XVII.*

- An quidam difficilius, & laboriosius,  
quidam diutius, & facilis jejunium  
ferre possint 200

*Dissertatio XVIII.*

- An recta, & benè instituta victus ratio  
remedium sit tam ad sanitatem  
conservandam, quam ad recupe-  
randam 204
- 

**DE POTU.**

*Dissertatio I.*

- D**E potu 209

*Dissertatio II.*

- Q**uis potus usus, sive necessitas, & uti-  
litas 212

*Differ-*

*Dissertatio III.*

An detur determinata quedam  
in moderarato potūs usu quantitas

215

*Dissertatio IV.*

Quænam aqua bona, & salubris, quæ-  
nam mala, & insalubris

218

*Dissertatio V.*

Unde petantur vinorum differentiæ

226

*Dissertatio VI.*

An ex vinorum differentiis desumi-  
possit vini bonitas, & malitia

229

*Dissertatio VII.*

An vinum dicatur calidum, & humi-  
dum, an clidum, & siccum

236

*Dissertatio VIII.*

An vinum aquæ præferendum, vel è-  
contra

242

*Differ-*

*Dissertatio IX.*

An vini potus sitim magis sedet, an aquæ  
248

*Dissertatio X.*

An vinum in alimentorum genere ha-  
beatur 252

*Dissertatio XI.*

An varia cerevisiæ, mulæ, virtus, &  
qualitas 255

*Dissertatio XII.*

An potus aquæ, vini, cerevisiæ &c.  
nive, aut glacie refrigeratus laudan-  
dus, aut improbandus 261

*Dissertatio XIII.*

An vinum cuivis ætati, & complexio-  
ni congruum 266

*Dissertatio XIV.*

An vinum in albo medicamentorum  
reponi

reponi valeat, & an idem sit con-  
dimentum, & alimenti vehiculum

272

*Dissertatio X V.*

An præcipua, & maximè necessaria sit  
in aëre, cibo, & potu sanitatis con-  
servandæ ratio

276



**PRÆ-**



## PRÆLOQUIUM.

**P**er quæ in arte medicina traduntur, triplicis esse generis notum est Medicis: nimirum *naturales*, *non naturales*, & *præternaturales*; ad has tanquam ad locos Communes referri possunt omnia, quæ in Medicinâ proponuntur.

Naturales numero sunt septem: Elementa, temperamenta, partes, humores, facultates, actionesque anima, & Spiritus.

Non naturales senario comprehenduntur numero; suntquæ aer ambiens, cibus, & potus, somnus, & vigilia, motus, & quies, excreta, & retenta, & animæ pathemata.

Præternaturales recensentur tres: Morbus, morbi Causa, & Symptoma. Ha-

rum rerum unicūm est subjectūm , si-  
cūt , & totius artis , omnīūmque illius  
partium ; nempe *Corpus humanum* : ne-  
quatenus est sanum , vel ægrum , idquæ  
ex sequentibus facile peripici potest .

Sanum namquæ *Corpus* in medici-  
næ parte *Physiologicā* consideratur , in  
quâ *principia* , *partes* & *affectiones* , sive  
*accidentia* explicantur .

Principia autem , vel sunt remota ,  
ut quatuor *elementa* , vel propiora , ut  
quatuor *humores* , qui massam sanguineam  
constituunt , vel proxima , ut *semen* & *sanguis menstruus* , quorum illud  
commune est utriusque sexui , hic fæmi-  
nino solum inest .

Partes vel sunt *spermatica* , vel *san-  
guinea* , vel *ex semine* , vel *sanguine mix-  
tae* , suntquæ rursus aut *similares* , quæ  
*ex alijs specie differentibus non con-  
stant* , aut *dissimilares* , quæ in alias sunt  
*divisæ* ;

Similares iterum vel re , verboquæ  
tales sunt ; ut *ossa* , *Cartilagines* , *liga-  
menta* &c. Vel tales sensu judicio ,  
quoniam nullam partium specie diffe-  
ren-

rentium diversitatem quispiam ad-  
vertit, quales sunt *venæ*, *arteria*, &  
*nervi*: esse autem revera dissimilares  
indè liquet, quoniam *venæ*, & *arteria*  
fibras, atquè membranas habent, ner-  
vi verò ex meningibus, & medulari  
cerebr substantiâ sunt conflati: Par-  
tes præterea corporis nostri etiam aliàs  
obtinent differentias, easquè à formâ,  
fine & usu petitas, quemadmodum ex  
anatomicâ constat doctrinâ.

Affectiones, & accidentia sunt tem-  
peramenta, facultates, & actiones ani-  
mae, & cæ sunt triplices: *animales*, *vitales*,  
& *naturales*, protectæ ab animâ, quæ se-  
cundum suam substantiam tota est in  
toto, suasquè operationes ministerio  
*Spiritu*um, & caloris nativi in partibus  
exercet.

*Spiritus* quorum reduci debeant,  
dubitari posset; videntur autem refer-  
ti posse ad partes *Corporis*, vocabulo  
tamen partis latè accepto pro omni eo,  
quod corpus quovis modo constitue-  
re perhibetur.

Nativum Calidum, quod alias Com-  
plantatum fixum, & firmatum, sulphur  
vitale, & munia vitalis a quibusdam  
nuncupari solet, sub spiritu, Calore, &  
humore continetur.

Idem corpus sanum in parte medi-  
cinae Hygiene locum habet, in illâ enim  
docetur, quo pacto in suâ sanitate pe-  
sex res non naturales conservari que-  
at, quæ ab officio suo causæ sanitatis  
conservatrices appellantur.

Consideratur idem corpus sanum  
in parte artis medicæ semejoticâ, quo-  
niam morbi signa proponuntur dia-  
gnostica, ex quibus cognoscere licet  
corpus sanitatem frui.

Corpus quod actu ægrotat, in artis  
parte pathologicâ perpenditur, morbi  
enim tanquam illius accidentia præter  
naturam, & causæ suorum accidenti-  
um veluti propria eorum, & sympto-  
mata, seu morborum effectus in illâ  
eneruantur.

Cæterùm quemadmodum sanum  
Corpus in parte physiologicâ per sua  
propria accidentia & partes describi-  
tur,

eur, in parte semejoticâ cognoscitur,  
& in Hygiene suâ in parte conservatur:  
ita & ægrum corpus in pathologiâ per  
sua accidentia præter naturam per  
causas, & per symptomata declaratur.  
Curatur verò & à morbis, eorumquè  
symptomatibus in parte Therapeuticâ,  
& liberatur per præsidia diætetica, phar-  
maceutica, & Chirurgica: Ex dictis igi-  
tur apparent omnia, quæ in arte me-  
dicâ traduntur ad corpus humanum  
pertinere, ut jam expositum, ut sa-  
num depingatur, & innoteſcat, suaquè  
in sanitate conservetur: egrum verò  
etiam describatur, notum fiat, ut sa-  
nitati restituatur, atque curetur: sym-  
ptomata, quoniam morborum sunt um-  
bra, iisque sublatis evanescunt; pecu-  
liari curatione non egent, nisi forsitan  
caularum adsciverint naturam, eo-  
rumquè vel morbos foventium, aut  
augentium, vel novos morbos gene-  
rantium, vel vires nimiè prosteinen-  
tium: quemadmodum Gallen. do-  
cet de neutro corpore decidentiz,

quod nisi causa morbifica mature exi-  
natur, in morbos lapsum est.

Verum de his accurate scripsere Au-  
tores; non exiguum autem adhibui-  
se studium in praescribendâ vivendi  
regula, quæ in omni corporis statu tam  
salubri, quam insalubri, & neutrō in-  
ter principales medicinæ adnumeratur  
partes: cum tanta ejus sit necessitas,  
ut vel eâ solâ benè ordinatâ plurimi  
curentur morbi, vel Chirurgiæ, &  
Pharmacizæ juncta ordinatam vi-  
tus rationem praescribat, sine quâ nec  
vitali, nec curativæ, aut præservativæ  
indicationi fieri satis possit, eam jure  
meritissimo inter præcipuas medicinæ  
partes refert Clarissimus Sorbaitius Isagog.  
*Medic. c. I.* non tantum, quia reliquis  
auxilijs plurimum affert, sed quia se ip-  
sâ non levî præpolet dignitate: id ip-  
sum sufficienter testatur Ludov. Cornar.  
*Nob. Venet. in libel. de vit. Sobr. Comod.*  
*Inscript. & ab eo edito:* qui cùm ad 35.  
etatis annum vitam insalubrem du-  
xisset, licet multis remedijs frustâ usus  
esset, varijs frequenter morbis confi-  
ctatus;

**E**tatus : tandem consilio cuiusdam  
Medici solâ diætâ morbos illos oppu-  
gnare cœpit ; Cibi , & potus quantita-  
tem sensim imminuens , donec ad un-  
cias quatuordecim Cibi , computan-  
do panem , carnes , ova , & alia quævis  
edulia , & sexdecim potus ad singulos  
dies pervenisset , in quo regimine per-  
severans , vitam in columem , & à mor-  
bis liberam , atquè vegetam ultra cen-  
tessimum annum produxit : Hinc ve-  
rum illud commune adagium : *Sobrie-  
tas , & Ciborum parcimonia sanitatis ,  
& vita longe parens dici Consuevit.*

Ratû itaque habui de rebus non natu-  
ralibus ad conservationem corporum  
maximè necessarijs , sive de exactâ vi-  
vendi regulâ quedam proponere , ea-  
què breviter , & perspicuè explanare ,  
quomodo ijs utendum sit ad sanita-  
tem tuendam , vitamquè incolumem ,  
& à morbis imunem diutissimè con-  
servandam : de Aëre quidem , Cibo ,  
& Potu , quod majoris sint momenti ,  
& multò plura in ijs consideranda ve-

niant; aër enim ambiens, qui prout  
causa communissima est, ita morbi  
communes ab illius vicio ut plurimum  
exoriri solent: cibus & potus verò pro-  
ut sunt vera nutritionis objecta, sic  
vera sunt instrumenta, quibus vires  
conseruantur: reliquæ verò res non  
naturales sunt tantum causæ adjuvan-  
tes, quæ benè, vel male dispositæ faci-  
unt, ut nutritio ex alimento me-  
lius, aut peius procedat; ini-  
cio Facto ab aëre.



DIS-



## DISSERTATIO I.

*Quid sit Aër?*

**R**incipium desumitur ex Arist. L. de generat. 14. ubi elementa prima generationum & corruptionum principia nuncupat: hinc statuitur, *Aërem* (vocabulo latè accepto) esse Cujusvis rei principium, & rudimentum, quatenus ex eo primò Constituitur, & in eum ultimò resolvitur: sic litteræ dicuntur principia scripturæ; materia, & forma principia compositi: strictiori vero significatione ex variorum autorum definitionibus maximè arridet hæc Philosoph. definitio Tert. de Cœlo c. 3. text. 31. *Aërem esse elementum, ac per consequens esse Corpus, in quod Cetera Corpora dividuntur, in quibus inest po-*

potentia, vel actu, ipsum autem est indivisi-  
bile in diversa secundum speciem. Per  
**Corpus** intelligitur completum, per  
quod distinguitur elementum à mate-  
riâ primâ, & formâ. Secundò: in quod  
cetera Corpora dividuntur, scilicet gene-  
rabilia, & corruptibilia. Tertio: in  
quibus inest potentia vel actu, quia non  
requiritur, ut aér, vel cetera elemen-  
ta maneant in mixto formaliter, sed  
sufficit, si potentia, hoc est secundum  
virtutem similem. Quartò: ipsum au-  
tem est indivisibile: hoc est, non potest  
in aliud simplicius completum resolvi.  
Ultimò dicitur: in diversa secundum spe-  
ciem, ut intelligatur resolvi quidem aë-  
rem in diversas atomos, aquam in di-  
versas guttas, ignem in diversas scin-  
tillas; verum hæc sunt ejusdem  
speciei, adeoque est indivi-  
sibile secundum  
speciem.

## DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> II.

*An aër sit Calidus, & humidus?*

**N**otum est singulis elementis duas assignari qualitates unam activam, alteram passivam: igni enim adscribitur calor, & siccitas: aëri calor & humiditas: aquæ frigiditas & humiditas; terræ frigiditas, & siccitas. *Quaritur ergo an aër rectè calidus, & humidus statuatur?* affirmantem tenet Arist. Gallen. Avicenn. Egineta, Aëtius, & multi alij horum authorum asseclæ. Quod calidus sit inde probatur, quia tenuis est, subtilis, & levis, hæ namquæ qualitates non cadunt in aquam, & terram, illius tenuitas & subtilitas inde constat, quoniam etiam in angustissimos poros, ac meatus se se insinuare solet; levitas autem ex illius motu in sublime perspicitur: quod aër sit humidus probatur ex definitione humiditatis, quæ ab Arist. l. 2.

de generat. c. 2. tradita : *suo enim termino retineri nequit*, *alieno autem facile*: hanc tandem ob causam etiam aqua humida definitur , nisi enim solido aliquo corpore contineatur , effluit , non tamen aquam aëre propterea humiliorem esse conceditur , quod aqua magis humectet corpora , hoc enim facit , non quod humidior sit aëre , sed quod aqua crassioris sit substantia , & illius humiditas densiori inhæreat subiecto , magisque sit unita , hocquè nomine magis humectat. Ad hunc scopum ait Aristotales *humidum esse* , *quod proprio termino difficilè terminatur* , *alieno autem facile*: idque aëri convenientius , quam aquæ esse videtur , quia aëris est aqua fluidior , & tenuior , difficiusquè proprio termino circumscriptur , quam aqua. Assignantur quidem aëri etiam aliæ qualitates , quia refrigerat , & siccatur humidum ; illæ non naturales eis sunt , sed extrinsecæ , & adventitiæ , non à natura aëris profectæ , sed

sed à causâ aliquâ extrinsecâ v. g. *Calditatem* affert sol , quando est in cancro , radios in terram ipargit rectos, qui reflexi aërem nimiè calefaciunt ; quoniam ardens etiam caniculae sydus inflamat : *frigiditatem* pluviae , nives , grandines , pruinæ &c. *humiditatem* eadem Causæ. *Siccitatem* ignis, fumus, fuligines exsurgentes à calce , nitro , Sulphure , & rebus alijs. Verum & ab alijs aër mutatur causis , corporibus scilicet cœlestibus fixis , & errantibus , quo motu suo , lumine , situ , & influ-  
xu varijs modis aërem mutare consueverunt : nec non & ab ijs corporibus , quæ in elementari mundi regione consistunt , de quibus ex sequentibus clarius elucebit. De qualitatibus enim illorum judicandum est secundum propriam , & genuinam eorum naturam , non prout nostris sensibus offerunt

sensibus.

DISSE

# DISSERTATIO III.

*Per quas vias aér in Corpus nostrum ingrediatur, & quem in usum, ac finem introitus aëris insinuat?*

**A**ér enim summè necessarius est, & inevitabilis, ut sine eo, nequè in adversâ, nequè in secundâ valitudine, vel momento temporis vivere queamus. Duobus enim modis corpora nostra afficit, quatenus ea extrinsecus ambit, & per cutis poros, ac spiracula se se insinuat, vel quatenus inspiratione attrahitur. Utroquè modo magnam corpora nostra afficiendi, atquè alterandi vim habet, dum omnes suas qualitates spiritibus ( qui ex eo aluntur, ac generantur ) continuò communicat, & corpora, vel in naturali statu conservat, vel ab eodem deicet, prout convenientem, vel adversam constitutionem obtinet: aér ita-

itaquè ingreditur partim per os, & na-  
res, partim per arterias: priori modo  
ingreditur per respirationem in cere-  
brum, oris partes internas, asperiam ar-  
teriam, pulmones, & cor: posteriori  
per pulsum arteriarum, quæ per totum  
corpus disperguntur. Respiratio fit,  
quando Thorax à musculis elevatur,  
& deprimitur: elevatur cùm aér in-  
spiratur, & attrahitur, deprimitur, si-  
vè contrahitur, quando fuligines, &  
vapores excluduntur. Arteriae mo-  
ventur cum suo principio, quod est  
cor, & vel attolluntur, vel contrahun-  
tur: in elevatione aërem excipiunt,  
in contractione fuligines, & vapores  
emittunt. Hunc autem in usum & fi-  
dem aér in nostrum ingreditur cor-  
pus, ut calor, & Spiritus ventilentur,  
& aliquod refrigerium consequantur,  
cor potissimum in respiratione, reli-  
quum verò corpus per motum arte-  
riarum. Istud autem refrigerium fit  
duobus modis: uno per se per respi-  
tionem

tionem aëris externi, qui frigidus: altero per accidens in exspiratione; artijs enim Contractis fuliginum & halituum fit expulsio, illis igitur expulsis cor per accidens ventilatur, & refrigerium sentit, ijsdem refrigerationis modis reliquæ corporis partes refrigerium percipiunt; cum arteriæ pulsant, & nunc elevantur, atquè attolluntur, nunc iterum contrahuntur, nisi enim hi motus thoracis, pulmonum, cordis, & arteriarum fierent, calor, & Spiritus inflammarentur, aut suffocarentur cum vitæ dispendio. Quæritur ergo, an aëris major vis sit ad affigendum corpus nostrum inspiracione per nares & os, an circumfusi, qui per arterias attrahitur? respondetur inspirati maximè, quia & in majori copiâ, & vi majore intro subit, & integris propemodum viribus ad vilceſtra magni momenti cor, cerebrum, & pulmones deducitur,

Sciendum est, quod aër calidior difficile inspirari, ac aspirari possit; quia cum aër calidus sit, multum ignis admixti habet, ignis autem nunquam est sine suorum filaminum plexu, quæ ita cum fibris pulmonum implicantur, ut meatus obstruantur, nec ita facile deinde solvi, vel explicari possunt, unde difficultem respirationem evadere necesse est: hinc cum fuligo cordis, quæ in pulmones ascendit, est crassior, & tenacior, ut in febrium æstu accidit, non sine aliquâ vi respirando emittitur: hinc aër illæ celle vinariae, cui halitus ex recenti musto avolans admiscetur, animam, & respirationem quasi introcludit: similiter aër crassus, qui in antris profundissimis introcluditur, non raro fossores interficit, dum eis respirationis usum eripit: ita & aër maximè frigidus difficulter respiratur, quia frigore appulsi aëris contrahuntur pulmonum meatus, imò & musculi thoracis; ex utroquè autem capi-

capite respiratio difficultis evadit. Hinc dum quis frigore contremiscit, magnam respirationis difficultatem sentit: hinc etiam cum servet aestus aurâ frigidâ, cum lævit hyems, aurâ temperata recreamur. Quæritur nunc utrum idem sit aëris, qui exspiratur per anhelitum ab animalibus, & qui attrahitur sive inspiratur? Respondetur diversum esse: nam qui excipitur aëris nostrer elementaris est; qui vero emittitur, ac respiratur, & propriè anhelitus dicitur, cum multâ fuligine, ac vapore commixtus est, qui ex corde in pulmones, ex ijs demum cum halitu emittitur; anhelitus vero emittitur aliquando frigidus, aliquando calidus: calidus sentitur, cum ore pleno emittitur, vel etiam ore compresso, vel si manum proximè ori admoveas; hujus ratio est, quia per se & severa anhelitus est calidus; frigidus vero si manum in majori distantia ab ore amoveas, cuius ratio est; quia sic jam ab aëre extrin-

seco

seco infrigidatur, vel quia ab aëre occurrente ignis particulae in eo dividuntur, & sic frigus inducitur.

## DISSERTATIO IV.

*Quis aër optimus, & saluberrimus  
judicetur? quis pessimus, maximèq;  
noxius?*

**S**icre has aëris conditiones necessariae sunt, & utile: quia aërem inspiramus, sive vigilemus, sive dormiamus. Ita Gallen. I. de Sanit. suend. saluberrimum & optimum debere in pulmones aërem attrahere, ut puri ex eo Spiritus generentur; uti pestilentissimum noxio aëre uti. Optimus autem & saluberrimus describitur cum eodem Cit. loc. & Oribas L. I. 240 & L. I. Collect. c. 15. ita & cum Avicenn. L. I. de Doct. c. 5. & in libel. de renovandis nocturnis, qua accidunt in regimine sanitatis ex errore usus rerum non naturalium. Aëromnibus hominibus saluberrimus, eorumque Sanitati

tati conservandæ maximè idoneus debet esse in primis qualitatibus temperatus, purus, nullis inquinamentis infectus, nitidus, tenuis, serenus, subtilis, apertus, patens, & liber, nullo vapore malo, nullâ fuligine, aut corruptè perfusus, sed blandis, ac suavitè Spirantibus ventis difflatus, atque agitatus, nonnihil in montibus situs; ac aliquando salubribus pluvijs rigatus: nam qui nimium ventis, præcipue aquilonaribus agitatur, siccior est, ubi verò per justa intervalla ventis perflatur, atquè interdum, non diu tamen pluviolus est, siccitas pluviâ, & è contra pluvia siccitate temperatur: calore ita & frigore temperatus sit, quem ferè medius obtinet collis, qui nequè depresso hyeme pruinis torpet, nec torret æstate vaporibus, nequè elatis in summâ montium perpetuis ventorum motibus, aut pluvijs Omni anni tempore lævit: talis aër calore tempe-  
ra-

satum conservat, spiritus illustrat, &  
secreat, sanguinem attenuat, corpus  
in integrâ sanitate conservat, & ad  
actiones omnes alacre reddit, omnî-  
que ætati, & temperamento salubris est.  
Unde omnibus animalibus aura vernâ  
gratissima, quia temperata &c ab Hyp-  
poc. 3. aph. 9. non immeritò salubri-  
ma dicitur. Malus vero vitiosus &  
insalubris ex allegatorum authorum  
opinione ille dicitur, qui crassus,  
turbidus, dentus, immotus, inter-  
clusus, à tetris, putridisque halitibus,  
exhalationibus è lacubus, paludibus,  
speluncis, fimo, cadaveribus, frugibus,  
fructibus, oleribus, mialmatibus pe-  
stiferis, aut alias malignis infestus, &  
vitiatus; aut qui è profundo quodam  
specu pestilentem auram recipit; qui è  
cloacis vastam urbem purgantibus vi-  
tiositatem contrahit; aut ex animali-  
um lanienâ, coriariorum officinis, si-  
mique putredine, aut alio quodam  
malo imbuitur: qui ex stagno, aut ma-  
gni

gni fluminis viciniâ crassus, & caligine plenus est; qui editis undique montibus septus, demissoquè loco, ac cavo arctatus, nullum recipit perflatum: talis enim corpora nostra à statu naturali dejectit, & omnium generum morbos affert. Aër enim talis nulli commodus est, sed omnibus, quantum possibile, vitandus, nemo profectò, qui sanitatem integrām conservare desiderat, in tali loco, ubi aër pravis exhalationibus, & vaporibus scatet, sedem Figere studeat, nequè exoptet. Id ipsum hortatur Columella lib. I. de rusticā. c. 3. Ubi Porcij Catonis sententiâ in emendo, inspiciendoquè agro duo præcipue esse consideranda præcipit; salubritatem cæli, & ubertatem loci: nequè sanum facere debere lumbus in culturâ sterilis loci monet; nec rursus pestilentî, quamvis feracissimo, & pingui agro, cum incertum sit, an dominum finat ad fructus pervenire; nam ubi sit cum oreo ratio ponenda,

ubi

ubi non modo perceptionem fructu-  
um, sed etiam vitam colonorum esse  
dubiam, vel potius mortem quaestu-  
certiorem. Ex his enarratis facile  
erit desumere, qualis sit aëris optimus,  
& saluberrimus & corpori nostro ma-  
xime commodus, ubi siccitas & hu-  
miditas ferè temperata sint, ad calo-  
rem verò nonnihil declinet, & qui nec  
nimio aestu corpora torreat, nec fri-  
gore gelida reddat, sed moderatae ca-  
lorem refocillet, & spiritibus gignen-  
dis materiam suppeditet, occursuquè  
suo suavitèr, ac blandè corpora nostra  
afficiat.

Quod vero aliqui maritimo, aliqui  
montano, alij siccо, alij humido, alij  
calido, alij frigido aëre gaudеant:  
provenit id totum à diversâ dispositio-  
ne corporis, & præsertim partium in-  
ternarum, sic calido temperamento  
præditi in aëre frigido degant, qui Fri-  
gidiorem temperiem nocti sunt, ijs ca-  
lidor aer utilior est, humidior res siccio-  
ri,

ri, sicciores humidiori aëre delectentur: sicut hydropicis obest aér humidus, cùm tamen prosit phthisicis; aér calidior, & frigidior etiam obest phtysicis, quia ob raritatem texturæ pulmonum frigidior, & subtilior aura altius penetrat: calidior verò rariorem substantiam plus æquò afficit, & hæc de aëre salubri, & insalubri.

## DISSERTATIO V.

*Quot aëris regiones, quantæ, & quales sint?*

**A**ëris regiones esse tres assignant Physici, & Mathematici: nempe *supremam, medium, & infimam*: suprema incipit à summitsibus, sive cacuminibus altissimorum montium & terminatur circa ignis principium, & est spaciū illud, quod est à media regione usquè ad concavum lunæ. Media interstructa est inter supremam & infimam, est enim spatiū, quod à nubibus infinis ad

ad summās , inclusivē extendit. In-  
fima regio est spatium , à terrā usquē  
ad eam distantiam , in quā nubes hu-  
millimæ , & nobis maximè propinquæ  
generari solent , vel eōusquē extendi-  
tur , quōusquē radij solares à terrā re-  
flexi resiliunt . Suprema regio distat  
à terrā secundum suam supremam su-  
perficiem minimum 50. semidiami-  
tris terræ , quarum una 860. millaria  
germanica continet uti demonstratur  
in Astronomiâ . Media regio aëris ex-  
tendit se à superficie terræ ad unum cir-  
citer milliare germanicum , quod inde  
colligitur , quia supra etiam altissimo-  
rum montium , & ad minimum medi-  
um milliare germanicum perpendiculariter  
habentium vertices cadunt  
subinde pluviae , nives , & grando , ac  
consequenter nubes altissimæ , ex qui-  
bus nix , pluvia , grando supra mon-  
tes illos decidit , & quæ terminant se-  
cundam regionem aëris , adhuc nota-  
bilitè supra eos ascendunt , adeoque

à superficie terræ uno circiter milliari germanico distant. Infima regio non se extendit ultra unum milliare italicum, quod patet, tūm primò ex observatione Mathematicorum, qui observarunt nubes graviores, quæ in tempestatum initij conspici solent non nisi quinquaquinta passibus à terrâ distare; tūm secundò experientiâ, sæpe siquidem contigit, quod illi, qui ascendunt altiores montes, videant infra se pluere, cùm tamen in nostris partibus montes etiam altiores raro excedant perpendiculariter 60. passus geometricos. Suprema eandem semper magnitudinem, & amplitudinem servat, media & infima variant, nunc enim maiores sunt, nunc minores: infima in æstate est major, quam hiberno tempore. Media major est in hyeme, minor in æstate. Ratio diversitatis est, quod sol in æstate sit puncto nostro verticali propinquior, in hyeme verò à puncto nostro verticali remotior.

tior. Hinc fit ut solis radij in æstate terram feriant ad angulos rectos, vel rectis propinquiores, qui resilientes ad locum sublimiorem ascendunt, hyberno vero tempore ijdem radij sunt obliqui, terram qui percutiunt, leviter, debilitè resilunt, atquè ad locum sublimiorem non ascendunt. Quando infima regio eðusquè extenditur, quðusquè radij solares reflexi ascendunt, ac ob id minor est in hyeme, major autem in æstate. Media regio contrario modo se habet, & in hyeme est major, minor in æstate.

Regiones etiam istæ qualitatibus inter se differunt; suprema enim est calida, & propter situm, & propter motum, quia unâ cum igne, primoquè mobili circulariter movetur, motum autem excitare calorē manifestum est.

Infima regio calida est propter radios solares, qui in terram incidunt recti, & posteà resilunt, sive reflectuntur æstivo tempore, obliqui autem hyeme.

Media regio frigida est, quoniam utrāquè causā est destituta. Suprema etiam est siccior, seu minus humida propter motum dictum, & propter vicinitatem, quam cum igne habet.

Infima humida est propter vapores, qui è terrā exhalant, & continuò per illam ascendunt, ab ijsdem vaporibus etiam media aëris regio humidior redditur, eò quò ad illam delati, ibi diutius maneant, & in aquam mutentur, ob horum vaporum in aquam converorum etiam eadem regio frigida, & humida definitur, & non extremè talis, verūm comparativè, solum respectu aëris, regionis inferioris & supremæ.

Quæri hic poterit, cùm aër naturaliter sit cálidus, idquè propter levitatem, & subtilitatem ut suprà dictum, quomodo media illius regio frigida statim esse possit, & quidem frigida perpetuò, nam quod naturaliter, & essentialiter alicui rei insit, inseperabile ab illa esse conluevit, quod si ab illa te-

pare;

paretur, non amplius ei est naturale, ideoquè natura illius est destructa, & perijt. Ita Aristot. medium regionem frigidam esse docuit duas ob causas: primò quia in orbem non movetur. Secundò quia radij solares à regione primâ ad illam non ascendunt reflexi.

Ad hæc quæsitum Respondetur per distinctionem, eamquè geminam, unam caloris respectu graduum, alteram respectu originis. Mediæ aëris regionis frigiditas est calor, sed debilis, atquè infirmus, idquè ob defectum motus, & generatam aquam, & pluviam uti dictum est; idem autem frigus neutiquam aëri qualitas naturalis, & essentialis, sed accidentalis, extra-nea, & adventitia est: nam si aëris mediæ regionis omni calore careret, aëris minimè dici posset, quoniam calor à corpore tenui, subtili, levi, valdèque mobili, & invisibili prorsus removeri non potest; est ergò aëris mediæ regionis naturaliter calidus, sed remisso in

gradu, quoniam aër est, cui competit calor nativus; non est autem calidus calore adventitio, & extraneo, quia illo caret.

Infimæ verò regionis aërem utroquè calore calidum esse affirmatur; naturali quia aër: extraneo verò, & adventitio, quoniam radics solares recipit, & quidem fortiores in æstate resilientes scilicet ad locum superiorem.

Cùm verò regiones alijs calidiores, alijs frigidiores sint, prout magis, vel minus à circulo æquinoctiali, vel tropico cancri apud nos remotiores sunt, majoremque, vel minorem latitudinem, ut appellant, habent. Aëris enim constitutio dependet primariò à locoru situ, & naturâ; ad locorum situm autem pertinet primò situs versus cæli plagas. Nam quanto rectiores radios solis regio aliqua excipit, & quo diuturnior solis supra horizontem mora est, eò regio est calidior, frigidior verò contrarijs de causis. Verùm aliò diffenda curio-

curiosior, & in Astronomiâ profundior  
hæc humani ingenij conjectura, cùm  
überiorem discurrendi campum pro-  
suâ dignitate requireret, de præsentî  
placuit supersedere.

## DISSERTATIO VI.

*An aër revera, & propriè loquendo  
putrefascat?*

**P**hysici duas ponunt putredinis spe-  
cies, unam perfectam, quâ corpus  
mixtum, è quibus componitur,  
in illa elementa resolvitur; estquè illa  
quam Arist. L. 4. Metb. c. 4. definit.  
*cujusquè rei humida, naturaliè què caloris  
interitus, qui à calore alieno, atquè am-  
biente factus; hic namquè poros ape-  
rit rei putrescibilis, poris apertis calor  
proprius, & nativus educitor, hoc edu-  
cto, humidum leperatur à sicco, quod  
relinquitur, pulvis est, & terra, atquè  
sic fit elementalis resolutio in sua ele-  
menta ex quibus conflatum, & hoc  
nomine putredini isti contrariatur ge-*

neratio in quâ elementa mixtorum  
uniuntur.

Alteram partialē, & putredinē secun-  
dum quid afferunt ; quando terra, alia-  
què liquida corpora putrefascere statuun-  
tur, ut *vinum*, *lac*, *humores in febribus*  
*putridi*, *syrupi*, multaque alia. Prior  
illa putredo, quam Arist. definit tota-  
lis est, atquè perfecta, quoniam mix-  
tum corpus secundūm totum, & per-  
fectè interit, quia in illâ humidum à  
sicco seperatur, idquè propterea quo-  
niā evocatus est proprius & nativus  
calor, quæ evocatio facta à calore am-  
biente : verūm quando hæc seperatio  
non perficitur, tūm mixtum quatenus  
mixtum est, secundūm partem tantūm  
dicitur propriè, & secundūm quid so-  
lūm dissolvi; *vinum enim*, aut quodvis  
aliud corpus liquidum, quod putrefa-  
ctum, non omnino interijt, quatenus  
mixtum, quia non est in elementa re-  
solutum, licet id recesserit à naturali  
suâ temperie, modò tamen magis,  
modò

modò minus; propterea illa corpora liquida, tametsi sint putrefacta adhuc tamen nomina sua retinent, quia non prorsus perierunt: hâc igitur particuli, & imperficiâ putredine aër sicut & aqua putrefescere dicitur.

Putrefescere verò aërem triplici ratione referunt Medici. Primò si salubribus ventis non diffletur, & agitetur, facile corruptitur. Unde Hypp. 3. epid. pestilentein constitutionem gravissimam describens: *sine aurâ*, inquit, *usquè annus hic fuit*: venti enim plurimum prolunt pro aëris salubritate, undè adhuc commune illud effatum de Austria: *Austria ventosa*, si non *ventosa, venenosa*. Quapropter tranquillitas anni semper suspecta est de pestilentia, quia sic non commovetur aëris, & ita vitium contrahit, atquè putreficit.

Secundò, si putrum, ac fætidarum exhalationum inquinamento pollutur, & hæc sanè, est efficacissima, &

frequentissima ratio, quando scilicet putridi tetri, & maligni vapores aëri commiscentur, eumquè inficiunt, qui à varijs rebus excitari solent: stagnis scilicet, lacubus, paludibus, pilcinis, alijsquè locis quietis, aut cænoso humore refertis, vel in quibus linum, aut cannabis maduerit; vel ex cloacarum, iterquilihiorum, & angiportuum fætore; vel à strage cadaverum insepultrum, vel ex antris, & specubus, in quibus aër diutissimè conclusus fœdam acquisivit putredinem, terræ motu, aut alio calu apertis; aër enim tali modo inclusus recentis auræ perflatu destituitur, unde fit, ut putrefascat, & corruptatur, non secus, ac aqua stagnans in cavernis detenta, & effluendi vicissitudine destituta putrescere consuevit.

Tertia verò ratio est, quæ in primarum qualitatum excessu, inæqualitate consistit, varijs modis potest contingere, ac præcipue, quando in caliditate

tate, & humiditate plurimum excedit, illæ enim qualitates, quando extraneæ sunt, & adventitiæ, ac supra statum naturalem auctæ; sunt principia putredinis. Hinc constitutio austrina per anni tempestates diu perseverans, apud Hyppocratem *in Epidemijis*, fuit causa præcipua omnium febrium putridarum, & pestilentium, quæ ibi describuntur.

Sicca verò aëris constitutio, licet ex sententiâ *Hyppoc.* 3. *aph.* 15. sit humidiiori salubrior; quiatamen omnis qualitatum excessus naturæ nostræ inimicus, certum est, sicciorum constitutionem valdè excedentem, & extraordinariam, febres pestilentes producere, præsertim si cum caloris excessu juncta sit: hujus exemplum habetur apud Livium *l. 1. dec. 4.* ob nimium scilicet squalorem Romæ pestem Fuisse factam, quod siccitate eo anno plurimum laboratum fuerit, nequè cælestes modo aquæ parcè descenderint,

sed terra quoquè ingenito humore egens, vix ad perennes aquas sufficerit. Hæc autem sicca constitutio catenus febres pestilentes inducit, quod humores supra modum exusti in anthracum, carbuncolorum, atquè adeò pestilentis febris materiam degenerant, & admodum insipisci graves obstruktiones producunt, ex quibus maligna putredo in materiâ alioquin facile dispositâ facile generatur.

Frigiditatem immodicam etiam corrumpere aërem ac febres pestilentes producere probat Hyppoc. I. Epid. Sect. 5. Tempest. 2. quo loco inquit: *in Thaso Paulo ante arcturum, & sub arcturo multa, & magna spirante aquilone pluvia: Ubi ex nimiâ frigiditate illius tempestatis venenositatem & malitiam venatur.* Tùm apud Liu. lib. 5. dee. 1. putridam aëris, & pestilentem constitutionem à vehementi frigore exortam, legere est his verbis: *Insignis annus hyeme gelidi, ac nivesâ fuit, adeò*

ut viae clausæ, Tyberis innavigabilis fuc-  
rit. Tristem hyemem, sive ex intempe-  
rie cali raptim mutatione in contrarium  
factâ, sive aliâ de causâ gravis, pestilens-  
què omnibus animalibus astus excepit.  
Ethujus eventus ratio in promptu est,  
quod nimirum prohibito effluxu na-  
turali ex cutis densitate ob ambientis  
aëris frigus facta, majorem fieri pu-  
trefactionem contingit, & gravius ve-  
nenum; hinc periculosiores febres,  
quam ækivis temporibus, in quibus  
ipsa aëris conditio licet quodammodo  
præstet mali principium; meatus ta-  
men reddit patentiores, per quos faci-  
lè, quod putreſcit, exhalat, & natura-  
les, ac præternaturales effluxus prom-  
ptè exspirant.

Inæqualitates temporum aërem  
etiam inficere demonstratur, quando  
sicilicet modò calor, modò frigus, mo-  
dò siccitas, modò humiditas sibi in-  
vicem succedunt, vel frequentè re-  
currunt, vel diutius durant. Ut quan-

do post diuturnos æstus, frigus glaciale  
irruit; vel post longas pluvias extrema  
siccitas suboritur, aut contrà vel cum  
præpostero ordine hyeme calet, aut  
friget æstate. Hæ autem temporum  
inæqualitates ad corruptionem aëris,  
& consequentè ad febrium pestilenti-  
um generationem conferre possunt,  
quia in ijs maxima fit humorum con-  
turbatio, ex quâ pravam acquirunt  
conditionem, & à naturali statu valdè  
alienam, morbisquè malignis produ-  
cendis idoneam, in illis præcipuè cor-  
poribus, quæ per illorum temporum  
decursum ex pravâ victus ratione  
plethoram, cachexiam, vel insignes  
obstructiones contraxerunt.

Ad confirmandam hanc dissertatio-  
nem aërem revera & propriè loquendo  
putrelcere ocularis demonstrat autop-  
sia: si quis tempore infecti aëris per  
fenestram exponat panem, vel per uni-  
cam noctē; non tantū euadet mucidus,  
sed etiā pluribus scatebit vermibus, uti  
non semel probatū est.

DIS-

DISSE

# TATIO VII.

*Aér, si in primis quatuor qualitatibus, atquè etiam in occultis excedit, quomodo temperandus, nec non quomodo hominis corpus afficit?*

**C**um excessus aëris præcipuè in primis quatuor qualitatibus effugere non possimus, ijdemquè ex necessitate nobis ferendi sunt: nec possibile etiam est, ut unusquisque proprium, & suæ temperaturæ maximè idoneum aërem invenire, aut eligere possit: quapropter aliquo modo arte supplendum est, quod beneficio naturæ denegatur: atquè adeo *Calidior aer refrigerandus, frigidior calefaciens, humidior exsiccandus, & siccior humectandus* est.

*Si itaque corpus calidum frigido aere egeat, qui talis, vel regionis, vel situs ædium culpâ non fuerit, præparare ipsum ad frigidum oportet frequenti adi-*

ædium irrigatione, aquâ gelidâ de vase in vas transfusâ, vel per paucimenterum sparsâ, vel linteis aquâ frigidâ madidis incubili suspensis: ita & florarum & plantarum refrigerantium uero, stratis per ædes rosâs, folijs vitiâ, salicis: floribus rosarum, violarum, nymphæ, alijsquè refrigerantibus herbis: patentium ad septentrionem etiam luminum apertione, quo inde spirans aura ædes refrigerat: radij itaque solares à concavi arcendi, hominumquè frequencia vitanda. Excessivè enim aër calidus, qualis est tempore aestivo, & maximè caniculari, poros aperit, spiritus educit, humores liquat, attenuat, & dissolvit, vires deiecit; & si immodica fuerit illius caliditas, coctionem debilitat, calorem nativum evocat, humores acres, & biliosos gignit, febres continuas, ardentes, tertianas excitat, vomitiones biliosas, diarrhæas, & dysenterias producit, vitamquè insuper abbreviat.

Tempore etiam valde *rigido* Brumali aërem accenso foco alterare licet : ignis autem sit luculentus , qui aërem conclavis sufficienter calefacit , & exsiccat , in quem finem fornacum in nostris locis usus commodissimus est : adiūtum proindè meatus omnes benè occludendi , ut frigidi aëris ingressus prohibeatur , & ita in hypocausto degere licebit : *frigidior enim aér* , qualis accidit in hyeme spirante vento aquilonari , corpus densat , poros occludit , calorem ad interiora repellit , aluum indurat , tusses movet , cathartos patit , lateris , & pectoris dolores inducit , faucedines , vertigines , cephalalgias apoplexiā generat ; gangrēnam , tandemquè sphacelum ob caloris retractionem , & constrictionem infert : partibus externis ingressus etiam in internas earum calorem extinguit ; nec non omnia capitis excitati mala à frigore immodico cernitur . Quod abundè Hyppoc. *frigidum cerebro esse inimicum* pronuntiat .

Cūm

Cum vero *humidius tempus* viventium etiam prosternit corpora, eadem ficeo aere medentur, qui igne, aut foco accenso, ac suffitibus ex rebus siccisis, calidis procurari potest: ut *salvia majorana*, *lavendula*, *roremarino*, *thymo*, *sespillo*, vel etiam ijsdem in ignem conjectis, aut etiam lignis siccioribus accensis, ac præcipue *juni perino*. In eorum tamen usu cautio magna adhibenda est, tum ut moderatissimi excitentur. Si enim nimij sunt, quoscunquè homines offendunt, & humores fundendo, graves catharrhos excitant. Aer enim imoderatè *humidus*, *pluviosus*, & *austrinus*, diu perseverans, sequentia inducit incommoda: cutem emollit, & corpus humectat, excrementisque obnoxium reddit, idquè pigrum efficit, ingenij torporem, ac tarditatem inducit, auditum hebetat, caput gravat, catharrhos, anginam, epilepsiam, apoplexiā, febres diutinas, vulcera, languo-

guorem, caloris diminutionem ob humiditatis abundantiam; fluxum alii nimium movet, ijs præsertim, qui debiles sunt, atquè infirmi. Sub quâ humiditate comprehenditur etiam *aer* turbidus, *crassus*, *densus*, qui corpora pravis humoribus, & inquinatissimis spiritibus implet, in pituitosis naturis pituitæ copiam acervat. Quotidiana nos docet experientia, quod, qui in locis, paludibus, stagnis, lacubus, aut magnis fluminibus vicinis, aut qui propter aliam causam *crasso*, ac *turbido* aere fruuntur, febres putridæ, tûm simplices, tûm malignæ illis sint frequenteriores.

Ita etiam econtrà si sicciora corpora humidiori aere delectari desiderent, conclavia eorum aquarum irrigationibus, & herbis humectantibus sparsis emendentur. Nimia enim siccitas tusses, raucedines, alii constipationes, tabem, febres acutas, ophthalmias, stranguriam, aliosquè varios affectus affert. de quibus

bus Hyppoc. Sect. 3. aph. 16. & sequent.

Quod si verò aëris pernitosam, & occulta qualitate imbuatur, ut inde febris pestilens exsurgat. Omnium præservationum præstantissima est cœli mutatio secundum illud: fugere citò, & longè, & tardè redire. Hi tamen, qui manere coguntur, vel inter ipsa inquinamenta, & cum ægrotantibus versari, multis alijs cautionibus, sicut & antidotis indigent. Quod ad præcautio-  
nem causarum externarum attinet; primùm aëris excessum corrigendo, calidiorem scilicet refrigerando, ut in caliditate corrigendâ dictum est: humidorem exsiccando, accensis ignibus, tum in vijs publicis, tum in privatis domicilijs, idquè ex lignis odoratis, quantum fieri poterit, junipere, lauro, roremarino, & si nilibus: nec non omnes causas removendo, quæ aërem inquinare possunt, inquinamenta autem in ipso aëre suscepta consumendo, ac dissipando, quod sit accensis ignibus,

bus, & suffitibus ex odoratis, atquē alexipharmacis. Tūm etiam agitatione aëris vehementi, ad quam tormenta bellica frequentè explosa, erunt efficacissima. Quæ omnia ab Authoribus, qui de occultis aëris qualitatibus ex professo scripserunt, fusè explicantur, inde repetenda: cùm nostrum institutum sit tantùm ea leviori pede percurrere.

### DISSERTATIO VIII.

*An terræ natura, montes, venti,  
Sylva, nec non aqua, mare, & paludes,  
vix aliquam habeant ad aëris  
constitutionem producendam?*

**T**erra diversis in locis non ejusdem naturæ, & qualitatis est: est enim ratione situs plana, campestris, & humilis; vel alta, & montana. Ratione substantiæ, & contentorum: pinguis, macra, canosa, saxosa, arenosa: Est & eadem terra, in quibusdam

regionibus metallifera, quæ metallicis  
prædita est fodinis.

Terra igitur *macra*, *saxosa*, *arenosa*,  
*sicca* est, siccumquè facit aërem, in modo si lo-  
lis radij in eam incident recti, atquè  
reflexi, siccumquè quoquè aërem red-  
dunt: huic contrarium humidum sci-  
licet efficit terra *canosa*, *luctosa*, *paludo-  
sa*, & *lacustris*, quaquè fluminibus abun-  
dat. Terra, quæ præfertim metalla  
quædam maligna in se continet: qua-  
lia sunt *auripigmentum*, *arsenicum*,  
*sandaracha* &c. malignam sæpe exspi-  
rat auram, aërem inficit, & vicinis  
urbibus endemios morbos imprimit.  
Terra *montana*, & editior Frigidorem  
reddit aërem, illa in primis, quæ bo-  
reali vento perflatur. *Humilis* videtur  
contrarium efficere, idquè ob radio-  
rum solarium reflexionem, quæ præci-  
pue accidere solet aestivo tempore, quo  
sol nobis est vicinior, & radios rectos  
in terram spargit, talis enim radiorum  
solis repercussionem citius, ac vehe-  
men-

mentiūs excipit. Hoc modo, qui ad radices montis meridiei, & orienti obversi habitant longè majorem calorem sentiunt, quam qui post montem versus meridiem, ortumvè situm habitant, quibusquè septentrio, & occasus patet, oriens verò, & meridies monte clauditur. Nam qui priorem loci situm habent, mox matutinos solis radios excipiunt, ejusdemquè meridianis radijs, & æstui obijciuntur, qui verò posteriorem situm obtinent, majorem diei partem sine radijs solis transfigunt, atquè interim septentriōnali auræ patent, ac demum solis ad occasum declinantibz radios excipiunt. Non minus & montium situs facit, ut quædam loca quorundam ventorum flatibus magis, vel minùs exposta sunt, atquè ita juxta ventorum, quos magis excipiunt, naturam magis frigeant, vel caleant. Nam si montes boream arceant, admittant verò austrum: accidit, ut loca sint calidiora,

ra, & humidiora: contrà si ob montis  
um sicutum austro aditus intercluditur,  
& boreas admittitur, locus erit frigidi-  
or, & siccior.

Quod & ventorū numerus & series  
maximā aëris perturbationē inferat, ne-  
mo dubitat. Alij enim sunt venti ori-  
entales, alij occidentales, alij meridio-  
nales, alij leptentrionales. Quatuor sunt  
cardines, qui à quatuor mundi angulis  
proveniunt: à oriente *Eurus*, sen *sub  
Jolanus*: à occidente *Favonius*, sen  
*Zephyrus*: à meridie *Notus*, vel *Auster*.  
à leptentriōne *boreas*, vel *Aquilo*. Alij  
iterum intermedij inter quoslibet duos  
**Cardinales numerantur**, qui à Novar-  
chis notabiliter inter se, vel ratione  
temporis, aut loci distincti reperti:  
Tempore *Vitruvij* numerabantur 24. à  
nostris modernis naucleris describun-  
tur 32. quorum cognitionis gratiâ inci-  
piendo ab ortu meridiem versus hic  
denominationes consigne: 1. *Solanus*.  
2. *Hypeliotes*. 3. *Meschiens*. 4. *Vulturinus*.

5. Eurus. 6. Phœnicias. 7. Altanus. 8. Mesophœnix. 9. Auster. 10. Hyponothus. 11. Libonothus. 12. Mesolibs. 13. Africus. 14. Subvesperus. 15. Libozephyrus. 16. Mesozephyrus. 17. Zephyrus. 18. Circius. 19. Caurozephyrus. 20. Albilaurus. 21. Argestes. 22. Sciron. 23. Thrasias. 24. Supernas. 25. Septentrio. 26. HyperBoreas. 27. Meses. 28. Subaquilo. 29. Hellepontius. 30. Hypocacias. 31. Casibeliotes. 32. Carbas.

Orientales itaque venti temperatiores sunt, ut & occidentales, hi tamen humidiores sunt. Ex oriente enim longus terrarum tractus est, quos dum percurunt venti, calidore, & sicciorie diei parte plurimum exhalationum siccaram secum trahunt. Occidentales vero & ingentes maris tractus transiunt, & sol in occatum vergens tantum, quantum oriens, & meridianus, exsiccare non potest. Septentriionales frigidi, & sacci sunt, & vim corpora adstringendi, & firmandi habent, cum

spirent à locis nive, & glacie obsitis, soli  
liquè intactis.

Meridionales sunt calidi, & humidi;  
quia vastum mare, & magnas paludes,  
è quibus multæ exhalationes attollun-  
tur, & loca calida transeunt; undè cor-  
pora laxandi, & resolvendi vim ha-  
bent.

*Auster*, qui lenior, *Serenus*: qui for-  
tier circa finem pluvias: mutat aë-  
rem, cùm incipit, & definit, & qui-  
dem à sereno ad nubilum, à calido ad fri-  
gidum, spirat post nives, idquè sæpius  
noctu, cavendum ab illo *in infusionis*  
*bus*, & *inoculationibus*. Eo flante an-  
helitus hominum magis fætet, & mor-  
bi invalescunt. Cujus caula est humor  
zepidus resolvens & putrefaciens, nil  
enim putrelocit, nisi humidum, & cali-  
dum: *Auster*, qui spirat à meridie di-  
ctus *Notus* calidus est, & humidus, ac  
zestuofus, noxius, pestifer. Qui ex  
Hyppoc. visum hebetat, caput replet,  
febres putridas, pleur tides, pulmonis

inflammationes, abortiones mulierum, aliaquè similia corporis producit incommoda, si hic ventus serenitatem pariet, illa erit cum calore magno, & noxio.

Boreas naturâ suâ est frigidus, & siccus, serenitatis parens, saluberrimus alias, omnia præservans à corruptione: nocet autem infestionibus, nocet & phthysicis, & tussientibus, ac podagrīcīs, & omni fluxui avito. Ratio est, quia adstringit, siccatur, ideo in tussi fortius adhæret, quod eiciendum, in physicā augetur siccitas, in podagrā peris constrictis minus exspirat materia peccans.

Eurus siccus, temperatè calidus, saluber: hyeme frigidior producit gelus: spirat oriente sole, noctu ut plurimum quieticit. Quæ illo spirante incipit tempestas, durat diutius, & quod mirum est, facit omnia visibilia majora apparere, quod efficit; aërem, qui est subjectum specierum miscendo, ut in eo maiores fiant refractiones. Nam

*Eurus* in anno dominans, excitat pa-  
sim febres ardentes, biliosas, acutas,  
*morbillos*, variolas; si tempore æstatis  
dominetur: si vero tempore hyemis  
rigidissimum tempus adducendo, ocu-  
los, nares, aliasquæ corporis partes ex-  
asperat, ac molestat. *Subsolanus* autem,  
in medio æstatis bilem auget, febres  
parit acutas cum siti, & siccitate ma-  
ximâ; Hyeme autem, & vere ( si diu-  
tiùs durat ) catharrhos, & defluxiones  
excitat, ast mediocriter flans salubri-  
tatem adducit.

*Zephyrus* humidus, clemens, flori-  
bus, & herbis amicus, pluvias generat,  
atquæ tonitrua; in æstate serenitatem  
parit. Hyeme, & vere autem nives,  
& pluvias: eo flante audibilia magis au-  
diuntur, quia medium soni facit quie-  
tum, eadem quidèm in autumno pro-  
ducit, quæ *Auster*; vere autem, & æsta-  
te est saluberrimus.

Ex intermedijs est *Circius* nocens  
*musculis*, *nervis*, *articulis*, generans, &  
rigo-

rigores, pleuritides, lassitudines, & ar-  
tuum contractiones, aliasquæ animi per-  
turbationes: de eorum proprietatibus,  
varijsquæ effectibus videre est apud P.  
Mart. Szent-Juany in curios. & selec.  
miscel. Dissert. 6. physic. mathem. §. 6.

Sylva in simili nimis densæ, & solis,  
& lenæ lumen auferunt; Hinc aëris  
motum, & agitationem, quæ putre-  
dinem arcere solent, impediunt.

Quid referendum est de aquis, sta-  
gnis, fluminibus, paludibus, ex quibus  
humidæ elevantur exhalationes, quæ  
aëri milcentur. Maxime autem aërem  
alterant, & in qualitatibus mutant va-  
pores exsurgentes ex aquis lacustribus,  
palustribus, ac stagnantibus; quoniam  
tales sunt cenose, fetide, ac putridæ. At  
si flumina, mare, paludes, reliquaque  
aque orientem spectent: materia co-  
piosæ humiditatis indè suppeditabi-  
tur, atquæ sol exoriens facile secum in  
loca, ad quæ tendit, humidas exhalati-  
ones deducet. Si verò longior inter-

aquas, & locum versus orientem sumum terrarum tractus intersit, vapes, qui inde elevantur, à solis radijs incalescunt, atquè exsiccantur, & siccitatem locis, in quæ perveniant, inducunt.

Minor autem humiditas oritur à lumbus, & aquis versus occasum sitis; vapores enim humidi indè exhalantes ab occidente sole evehuntur; nisi ventorum status vehementior contrarium faciat. Hæc quidem de locis planis, & campestribus tradit Sennert. Institut. Med. lib. 5. part. I. cap. 2.

Nunc autem si antè aqua, paludes, vel mare sita sint, retrò verò, atquè a tergo montes objecti, qualitatem aeris, quam aquæ vicinæ communicant, augent, dum prohibentur, atquè impediunt, ne vapores, & venti, è locis paludosis, aut maritimis delati, ulterius tendere possint, sed obice quasi objecto, collecti augeantur, & vires suas magis exferant. Ut si lacus, mare,

aut

aut paludes versus meridiem sita sine  
alicui civitati, vel regioni; eandem  
verò à tergo, & septentrione *montes*  
tegant: *Auster* in tali situ quasi conclu-  
sus longè majorem *caliditatem*, & *humiditatem* excitabit, quam in libero,  
& patent campo, in quo ulterius ten-  
dere posset. Ita si ad orientem, vel  
occidentem, *lacus*, vel *mare* situm sit,  
atquè à tergo *montes* obijciantur: ad  
sui generis temperiem efficiendam  
tum longè potentiores erunt venti,  
quam in patente campo. *Ita Sennert,*  
*eit. loc.*

## DISSERTATIO IX.

*An ad aëris mutationem referantur  
maligni syderum influxus, & an  
iijdem corpora viventium  
afficiant?*

**B**Onam, vel malam affectionem,  
& constitutionem corporum hu-  
manorum, salubritatemque, vel  
infectionem aëris plurimum ab *Astro* n.

*dispositione, ac influxu dependere, vi-*  
*dubium esse potest: cum configuratio-*  
*nibus cælestibus aëris statum mutanti-*  
*bus subditi sunt vultus microcosmi.*  
**Cælum est apertus quidē liber, & stellæ**  
*velut litteræ, quæ sua decreta non so-*  
*lūni ut signa, sed etiam ut causas sub-*  
*lunaribus intimant, sæpè in favorem,*  
*sæpè in persequitionem. Ab ijs au-*  
*tem morbi inferuntur non aliâ ratione,*  
*quam per aëris mutationem, quæ*  
*tanta esse debet, ut quod ad naturam,*  
*ac substantiam corrumpatur. Illa ve-*  
*rò immutatio fit duobus modis: uno*  
*per qualitates manifestas, quando scili-*  
*cet ab syderum influxu aër ad calidita-*  
*tem, & humiditatem, aliosquè prima-*  
*rum qualitatum excessus tantopère,*  
*& tam diu immutatur, ut indè tan-*  
*demi propriâ substantiâ vitiolus evadat.*  
*altero per qualitates occultas, quando*  
*scilicet ab occultâ syderum vi, absquè*  
*insigni primarum qualitatum excessu*  
*aëris substantia ita immutatur, ut cer-*  
tum

tum quendam corruptionis gradum acquirat, vitæ nostræ inimicum. *Ad primum* omnes Philosophi consentiunt, quod inferiora gubernentur à superioribus constellationibus: ex maximâ annorum diversitate colligitur, quâ unus valde humidus, alter valde siccus existit, cùm sol eundem singulis annis in Zodiaco cursum teneat, non potest nisi à varijs syderum aspectibus dependere. *Alterum modum* non æquè facile omnes concedunt, quia occultus est. Communis tamen Astrologorum sententia est, astra triplici ratione agere in hæc inferiora: *motu*, *lumine*, & *influentia*. Motus, & lumen hæc inferiora alterant secundum primas qualitates, & præcipue calorem. Influentia verò tum primas illas qualitates, tum etiam latentes, & occultas inducunt. Videlur ex eo, quod morbi pestilentes sœpè eveniant, nullâ factâ in aëre, quò ad primas qualitates, insigni mutatione: sed ijs grassantibus aër purus

admodum appareat, & purior interdum, quam sub alijs constitutionibus non pestilentibus: coniendum ergo est, à maligno quodam syderum influxu morbos istos pestilentes originem traxisse. Demonstratum est *in dissert. precedenti ex Hypp. I. Epid. Sect. 5. tempest. 2. ita & Liu L. 5. dec. 1.* quod pestes, & febres malignæ *ex frigiditate inmodicâ, seu media hyeme aliquando sæ. vire soleant, ubi nequè sunt tempora sive admodum calida, & humida, ex quibus insignes putredines exoriri solent:* Id ipsum experti sunt elapsâ hyeme Anno 1691. in inferiori Carniolâ civitatis *Tschernembl* incolæ, ubi nequè ulla in primis qualitatibus insignis præcesserit alteratio; Ergo occultis syderum viribus hujusmodi morbi assignandi sunt, cùm illa (*ex Astrologorum sententiâ*) vim aërem corrupti habeant, non facta in eo insigni aliquâ mutatione secundum primas qualitates. Et illud est divinum in-

morbis, quod agnovit Hyppoc. & Galeno interprete; in aëre quidem est, sed à cælo, & minus manifestis causis producitur. Tum etiam ab eodem Hypp. innuitur 2. Epid. Sect. 1. ubi dicit, morbum, & tempus sibi invicem correspondere, nisi quid in superiori naturâ innovetur.

Nequè obstat, quòd Plato in Epi-  
nomide adducat, cælum, & syderum con-  
cursus semper bonum in hac inferiora in-  
fluere, ab ijsquè non nisi conservationem,  
ac beneficium inferri. Uti & Arist. 9.  
metaph. c. 10. inquit, in his, que sem-  
piterna, atquè etherea sunt, nequè ma-  
lum, nequè errorem, aut corruptionem  
inueniri. Non minus, & Averhoes I.  
c. 4. corpora, dicit, caelestia continent  
elementa, conservant ipsa, & universa-  
litèr sunt eis quasi forma. Ita & si ex  
astrorum influxu morbi pestilentes ex-  
citarentur; illi eodem tempore mun-  
dum penè universum afficerent, cùm  
illi influxus causæ univales sint, &

cælorum circumactione omnes mundi plagas afficiant. At hujusmodi morbi aliquam tantum regionem peculiariter invadunt. Consequentè astra quoquè dicerentur malefica, DEUS, qui ea creavit, author maleficij dici posset, quod est impietate plenissimū.

Ad quæ expeditissimo respondetur calamo. Substantiæ creatæ duobus modis considerantur; vel quatenus entia sunt, & ad complementum universi, & perfectionem concurrentia, & tunc omnia bona sunt; ens enim, & bonum reciprocantur, nihilquè à DEO opt. max. omnium bonorum authore creatum est, quod malum simpliciter dici debeat. Vel considerantur ratione operationum, & tunc possunt dici malæ, quatenus alteri creaturæ damnum inferunt, ex insitâ antipathia, & inimicitia. Quamvis autem hujusmodi antipathiae penè innumeræ in mundo reperiantur; non desinunt tamen omnes dici bonæ, ratione sui authoris,

thoris , nimirum DEI , & ratione universi , cuius perfe<sup>c</sup>tio in varietate potissimum consistit . Præterea rerum creatarum operationes duobus modis malæ dici possunt , absolute , & simpliciter , vel secundum quid ; absolute malæ dicuntur , quando omni tempore , in omni loco , & occasione perpetuò malum efficiunt : & nulla potest reperiri creatura , quæ hoc sensu mala sit : secundum quid malæ dicuntur , quando uni nocent , & alteri prouident . Et sic nihil adeò noxium reperitur in rerum naturâ , quin ex aliâ parte etiam suos habeat usus ; quorum gratiâ creatum est . Sic omnia venena , quamvis homini , aut alijs animalibus noxiosissima ; tamen convenienter usurpata , multa bona , & commoda ijsdem affordere solent . Et in re medicâ nullum ferè reperitur adeò lethale venenum , quin ex eo , artis peritiâ , salutare medicamentum eliciatur .

Astrorum itaque actiones in hæc inferiora duobus modis considerantur: vel respectu *totius mundi sublunarisi, elementa, omniaque mixta continentis:* & tunc cælorum, ac syderum actione simpliciter benefica est generans, conservans, vivificans, omniaque alia beneficia præstans, quæ ad conservationem universi necessaria sunt. Et hoc sensu verissimum est, hæc inferiora à cæli, syderumque influxu foveri, ac conservati; vel considerantur *respectu peculiaris nature, ac conditionis, hujus, vel illius elementi, hujus, vel illius viventis.* Et tunc non est inconveniens dicere, dari quosdam influxus alicui elemento, vel viventi, hoc, vel illo modo, secundum aliquam sui partem affectis, noxios, ac perniciulos: quod quidem ex ipsorum astrorum vitio minime dependet; sed potius ex rerum his subjectarum imperfectione, quæ insignem mutationem sine propriæ substantiæ corruptione pati minime pos-

possunt. Variæ autem illæ astrorum  
naturæ, & variae qualitates, ex vario  
eorum concursu in hisce inferioribus  
productæ, à Summo rerum opifice con-  
stitutæ sunt ad conservationem uni-  
versi, quod tam varijs, & tam invi-  
cem repugnantibus naturis conflatum,  
tanta etiam in astrorum influxibus di-  
versitate indiguit, ut omnia in quo-  
dam velut æquilibrio conservaret. Ex  
quâ tamen influxuum diversitate vix  
fieri potest, quin aliqua rerum adeò  
inter se dissitarum pericula interdum  
patiatur, non in totâ aliquâ specie,  
( quod tenderet ad destructionem uni-  
versi ) sed tantum in aliquibus indivi-  
duis, minori resistentiâ præditis, & ut  
plurimum malè affectis, & in aliquâ  
tantum aëris parte maligni influxus re-  
ceptioni magis dispositâ.

Ad instantem dissertationem refes-  
runtur etiam *Luminarium defectus*, &  
*Eclipses, insolita metheora, & præsertim*  
*Cometa*, qui nunquam apparere solent,  
qui

morbi epidemici, ac pestilentes, variæ-  
quæ in mundo mutationes subsequan-  
tur. Cujus rei testis fuit luculentissi-  
mus ille cometa, quem observavimus  
circà quintam, & sextam vespertinam  
â 24. Decembris anni 1680. usquæ ad  
8. Februarij anni 1681. quem Vien-  
neſes Mathematici usquæ ad 19. Fe-  
bruarij prosecuti sunt observare, quâ  
die ultimò ope *Teloscopij* infra caput  
medulæ vilus, ibidem videri desijt:  
hunc profectò cometam morborum  
malignorum, & pestilentium, nec non  
etiam bellorum, quibus universa pe-  
nè Europa hactenus devastata est, præ-  
nuntium fuisse, in dies experimur; un-  
dè jam toties confirmatus ille claudia-  
ni versiculus:

*In celo nunquam spectatum imm-  
prunè cometam.*

Verùm hæc omnia recentiores Astro-  
nomi, quas adhuc maligni syderum  
influxus in aëre mutationes efficiant,  
accuratiùs expendunt,

DIS.

## DISSERTATIO X.

*An anni tempora quasdam in aëre  
mutationes cieant?*

Quatuor temporum cardines in tropicis, solsticijsquè, ac punctis æquatoris meridianum intersecantibus constituti omni ævo, ab omnibus observati fuere. Inde solis orbitam secuti veteres, totius anni tempora dijudicavere. Quatuor itaque sunt puncta Cardinalia, nempè: *Aries*, *Cancer*, *Libra*, *Capricornus*, eò quod velut in cardinibus, totus in ijs vertatur annus, ad quæ ubi sol pervenit, efficit quatuor notabiles mutationes temporis anni; videlicet: *duo aequinoctia*, vernale unum, & alterum hyemale; ac totidem *solsticia*, pari ratione æstivum unum, & alterum hyemale, à quibus deinceps quatuor partes anni consuetæ: *Ver*, *Æstas*, *Autumnus*, & *Hiemis* inchoantur. *Ver* enim incipit, quando sol

sol subintrat primum gradum : *Arietis*,  
*Æstas* dum sol pervenit ad primū gradū  
*cancri*: *Autumnus*, dum est in primo  
 gradu *Librae*: *Hyems*, quando sol sub-  
 ingreditur primum gradum *Capricorni*.  
 Initium autem *Arietis*, & librae dicun-  
 tur puncta *aquinocitalia*, eò, quod dum  
 sol in illa venerit, noctem æqualem fa-  
 ciat diei. Principia verò *cancri*, &  
*capricorni*, vocantur *puncta solstitialia*,  
 ex eo, quòd dùm sol ad ea venerit, in  
 eadem distantiâ à tropicis *cancri*, &  
*Capricorni*, quasi stare videatur pro-  
 pter insensibilem per aliquot dies ab ijs  
 recessum, ita, ut per aliquot circula-  
 tiones solis, nec dies, nec noctes cre-  
 scere, aut decrescere videantur. Me-  
 dici autem non solum ex solis cursu,  
 sed etiam ex temperie aëris hæc tem-  
 pora æstimant. *Ver* vocant, quando  
 aëris constitutio est temperator: *Æsta-*  
*tem*, quando eadem est calida, & sic-  
 ca; *Autumnus*, dum frigida, & sicca;  
*Hyemem*, dum frigida, & humida:

Hæc

Hæc quidem tempora non in omnibus regionibus æqualia sunt, prout ergo ær in quibusdam locis ex nativâ constitutione calidior, in alijs frigidior est: ita his hyemem, illis æstatem longiorrem efficiunt: ab aëris itaque tempe- rie conjecturæ circa valetudinem, & uniuscujusque temporis anni salubri- tatem definiendæ sunt. Ver inter alias omnes anni tempestates temperatissi- mum, & inter primas qualitates me- dium quoddam obtinet; quia tunc nec præ frigore algemus, nec præ æstu su- damus; quod quidem Hyppoc. I. *de nat. hum. t. 33.* calidum, & humidum asseruit, sed tantum comparatione fa- ciat ad alias tempestates. Ast tempe- ratum ver omnino judicabimus hye- mi collatum calidum, æstati vero hu- midum dici potest.

Ver etiam Hyppoc. 3. aph. 9. inter alias anni tempestates saluberrimum esse dixit, quamvis Gallen. I. *de temp. c. 4.* ver calidum, & humidum esse

neget, cùm illa constitutio sit insaluberrima, & ad producendos morbos, ac putredini maximè idonea; verùm id habere locum in magno caliditatis, & humiditatis excessu, ea enim solum constitutio calida, & humida est insalubris, & ad producendam putredinem aptissima, in quâ est magnus caliditas, & humiditatis excessus: ubi autem moderatè caliditas frigiditatem, & humiditas siccitatem excellit, temperies laudata, & non immerito temperata dicitur, quocircà homini, cuius vita in calido, & humido consistit, maximè congrua, talis autem maximâ ex parte est verna temperies; undè ver anni temporum habetur saluberrimum. Nequè obstat dicere, quod verno tempore multi morbi gignantur, siquidem ver ex propriâ naturâ salubritatem, non morbos inferre soleat, nequè eos per se producit; Ver enim ex propriâ naturâ nihil novat, sed si corpus bonis humoribus præditum

tum reperit, illud in sanitate conservat. Si verò pravorum humorum prægressâ hyeme collectorum congeries adfuerit, illi verno calore funduntur, commoventur, & aliquando putrescunt, undè varij morbi excitari possunt. Hinc *Gallienus* non ineptè ver exercitationi comparavit, quæ, & ipsa, ubi adhibetur in corpore excrementis vacuo, salubris existit: si verò corpus plenum excrementis invenit, morborum fit causa.

Si itaque excedat vernum tempus in caliditate morbos acutos; si in humiditate febres, oculorumquæ lippitudines adferre solet.

Æstas, calida est, & secca ob radios solis ad verticem nostrum accendentis directiores, moramquæ solis suprà Horizontem longiorem: corpora enim calidiora, & sicciora, squalida, siticulosa, imbecillaquæ reddit; humores attenuat, & accendit, bilis preventum efficit, undè febres ex eâ genita illo tempore grassan-

tur; si pluviosa est ætas, corpora putrefacit, creat morbos pestilentes, & Catharticos; si sicca ægritudinum biliosa. rum, si frigida incolumis anni, si ve- hementissimè calida febrium acutissi- marum origo esse consuevit.

*Autumnus* frigidus est, & siccus morborum maximè ferax, propter in-æqualitates, quæ in eo contingunt: manè enim, & vesperi frigus viget, circa meridiem calor, mixtaquè ex ca- lido, & frigido est autumni constitu-  
tio, & diversis horis calor, diversis fri-  
gus dominium obtinet: tunc tem-  
poris densantur corpora, & humores  
difflari prohibentur, & ad interiora aë-  
ris frigiditate trahuntur: undè etiam  
multi morbi oriuntur maximè pericu-  
losi propter atram bilem, quæ Autum-  
no in corpore redundat. Si est autem  
humidior morbificam hyemem pro-  
nuntiat: siccior pituitosis erit commo-  
dus, infestus biliolus; calidior morbi-  
dus, & malus.

Hyems

*Hyems* frigida est, & humida, Sol enim à vertice longissimè remotus obliquos jicit radios, & brevissimo tempore suprà Horizontem versatur: ea enim corpora firmat, ac vegetiora, & multo calore nativo referta efficit, somnosque ob longitudinem noctium prolixiores reddit: pituitæ procreatrix est, & corpora fluxionibus facit obnoxia. Si *Hyems* sit sœva, est interfectrix; si calida, & humida infalubris.

Certis enim temporibus, & suam tempestatem servantibus certi, & tempestativi, ac judicatu faciles morbi fiunt. Incertis autem, & alienis incertæ quoquè ægrotationes fiunt, & ad judicandum difficiles Hypoc. 3. aph. 9. quia sœpè accidit, ut ætas sit similis Veri ex Hypp. 3. aph. 6. *Hyems* fuccior, Ver pluviosum, & australe ex eodem 3. aph. 11. vel *Hyems australis*, & pluviosa, ac tepens; Ver ficum, & aquilonium 3. aph. 12. Ætas sicca, & aquilonia, Autumnus pluviosus, & australis 3. aph. 13. verùm

verūm in varij morbi pro diversis  
anni constitutionibus oriuntur, quo  
allegatis locis recenset *Hippoc.*

Ast litteratores hujus studij inter-  
pretes nequè his contenti; nam non  
solum attendunt ad prædicta puncta  
cardinalia, quando sol ea ingreditur,  
sed etiam observant, quis status sit  
planetarum erga solem, ac inter se,  
quisue illorum, & in quâ parte Zodia-  
ci, quam ex duodecim domibus cæle-  
stibus occupet, tempore illo, quo sol  
puncta hæc ingreditur, atquè ex qua-  
litate talis dispositionis stellarum de  
futurâ constitutione circa aëris muta-  
tionem singularum anni partium con-  
jecturam faciunt; ac non immerito;  
cùm planetæ sint fortiores, quando  
sunt exaltati, seu in domo suâ, ut do-  
mus *Saturni* est *capricornus*; *Jovis aqua-*  
*rius*; *Martis*, *piscis*, & *sagittarius*; *Ve-*  
*neris aries* & *scorpius*; *Mercurij libra*,  
& *Taurus*; *Solis*, *Virgo*, *gemini*, & *Leo*;  
*Luna cancer*: profectò & Medici circa  
equi-

*æquinoctia, & solstitia magnis obser-*  
*vant mutationes; præcipue æquinoctia*  
*verna, sicuti magnam vim habent in*  
*turbanidis, & confundendis vinis: ita*  
*profectò magnas in corporibus huma-*  
*nis præcipue vinosis, seu vino deditis:*  
*hæc enim non secus, ac **vala** vinosa,*  
*magnas, *inquam*, in martiali illa, seu*  
*æquinoctiali tempestate subeunt per-*  
*turbationes; indè est proverbium il-*  
*lud germanicum, was der Merk nicht*  
*wil / daß nimbt der April. atquè sic*  
*de cæteris, de quibus fusè Astrologi.*

## DISSERTATIO XI.

*An ex aëris dispositione, quæ omni-*  
*nò est sub diversis climatibus celi di-*  
*versa, oriatur in hominibus*  
*complexionum di-*  
*versitatis?*

**V**erùm diversitatem complexionum quidem oriri primò à ge-  
 nitoribus, à quibus plerumquè  
 trahimus naturæ, & complexionis si-  
 mili-

militudinem, nisi ex accidenti aliquod contrarium contingat; uti Arist. lib. 4. pollit. c. 8. scribit: *consentaneum est ex melioribus ortos, esse meliores.* Et lib. 2. c. 4. Ex quorundam sententiâ sicut *ex hominibus hominem, ex bestiis Bestiam;* sic *ex bono bonum;* atquè ob similitudem rationis, sic quoquè *ex malo malum oriri.* Hinc vulgare illud adagium: *malicorui malum ovum,* & Cicerio in oratione pro Roscio censet: *Neminem ex improbo patre, probum filium nasci posse existimare.* Unde proles aliæ patrizate, aliæ matrizare dicuntur, nisi à nutribus ingenui, pravivè mores cum lacte hauriantur, facile enim adhuc cerei infantis tenerum corpus, quotidiana hâc lactis exsuctione immutatur, & in eandem cum nutrice temperaturam dehiscit, ex temperaturâ autem corporis inclinationes, ac propensiones naturæ proficiuntur; habentur hujus rei quam plura exempla; ut qui à salacibus nutribus fuerant

rant enutriti , ipsi quoquè ad hoc vitiū proclives se sentirent ; alij morbes nutricum simul cum lacte ebibunt.

Verūm oriuntur etiam , vel saltem variantur complexiones ex certā viatūs , & potūs temperantiā. Unde Plutarhus lib. de educandis liberis ostendit : multo pastu eos stupidioris , & tardioris ingenij evadere : certum etiam est , quod cibi nimis crassī complexione mutent , & ingenium hebetent.

Quod autem stellæ viciniores maximè errantes in sublunaria , & inferiora influant , illa alterent , incitent , excitent , tām ratione , quām experientiā certum esse videtur , & quidēm in ipsam hominum , hanc , vel illam inclinationem inducere hunc , vel illum affectum , passionem intendere valent : nequè obstat , quod directè non influant in voluntatem , influunt tamen in organa , & dispositiones corporis , à cuius dispositione complexio , ab hac intellectus , & voluntatis operationes

dependent, proinde non immerito  
Medici, alios sanguineos, sive Joviales,  
aut solares; alios biliosos, sive Martia-  
les; alios phlegmaticos, sive Lunares,  
aut Venereos, nec non alios Melancholi-  
os, sive Saturninos nominant; harum  
autem complexionum diversitates  
physiognomis vi suæ artis licet, & ra-  
tionabiliter ex signis divinare licet.

Sanguinei itaque, sive Joviales sunt sta-  
turæ satis magnæ, & homines robusti,  
ac corpulenti, vel saltem carnosí; fa-  
ciem habent rotundam, ac rubicun-  
dam, modice colore permixtam ha-  
bent capillum, crispum, molle, ac  
subflavum, habent, & vocem firmam,  
motam velocem, pulsus arteriæ for-  
tem, velox incrementum corporis;  
somnia frequentè se volare per aë-  
rem, interesse convivijs, & jucundis  
conversationibus, versari in hortis, &  
palatijs: hinc delectantur etiam jocis,  
risu, facetijs, saltationibus, recreatio-  
nibus, non adeoque magni, sed poti-  
us

us hebetioris sunt ingenij præsertim in speculativis scientijs , nimius enim languis vim imaginativam obfuscat ; nil ominus , si languis bile flavâ miscetur , præstabunt ingenio , & redditur ad omnia genera litterarum aptissimi , ad producendam vitam præ reliquis sunt magis apti ; mortis enim naturalis causa est defectus nativi caloris , & humidi radicalis , hæc duo cùm in sanguineis abundant , non tam facilè deficiunt : sunt è contrâ febribus , synochis , phlegosi , angino , pleuritidi &c. maximè obnoxij .

*Bilioſi* , ſive *Martiales* sunt ut plurimum ſtaturæ parvæ , vel ſaltem mediocris , ſunt macilenti propter internum calorem , & ſiccitatem ; habent capillos crifpos , ac retortos ; voce utuntur altiori , & reſonante ob organa dura , & aspera , ac exſiccata , quibus ſonum edunt ; habent pullum vehementem , durum , & frequentem ; ſomniant de coloribus flavis , rixis , &

incendijs ; Hinc etiam sunt valdè iracundi, nimis impatientes, quia abundant spiritibus calidissimis ; sunt præcipites mente, leves, importuni, jaubundi, contentiosi, mordaces, & ad rixas, contentionesquè semper parati ; ita & volunt omnibus supereunere ; ob varios etiam itæ fluvius, qui bus agitantur, citò irascuntur, nec non citò placantur ; ad erysipelatis, febri tertiana &c. Phrenes eos, cardialgia &c. passiones sunt propensi.

*Phlegmatici, frvè Lunares, aut venerei* sunt molles, & effæminati, non sunt ita valdè alti, sunt tamen vasti corpore, & pingues propter humoris copiam, habent cutem, & pilum mollem, ac rarum, ita & pullum tardum, rarus, ac mollem ; somniant sapè mare, aquas, balnea, navigationes, submerfiones, & similia, quia in illis abundat humiditas, & frigiditas ; qua proptèr sunt ingenio obtuso ; sunt & somnolenti, tardi, pigri, deßides, sunt & timidæ,

midi, quoniam timor à frigiditate oritur, sunt etiam mutabiles, quoniam sicut humidum alieno termino facile terminatur, ita illi alieno arbitrio reguntur: adeoquè ingenio sunt sedato, & nulli molesto, nequè sunt in judicijs, & sententijs suis obstinati, ac contumaces; expositi sunt multis ex phlegmate provenientibus infirmitatibus: quales sunt *apoplexia*, *catharrbi*, *podagra*, *reumatismi* &c.

*Melancholici*, sive *Saturnini* sunt statura fat altæ, corpus tamen illis est macilentum, & exhaustū propter terream siccitatem, capilli sunt illis nigri, densi, ac duri ex eadem siccitate, facies, & cutis squallida, livida, & plumbea pulsum parvum, tardum, durum, nec non somnia habent tetra, quia somniant de morte sepulturis, infirmitatibus spectris, putant se ligari, coniisci in carceres, decapitari, versari in cæmitijs, & locis tenebrosis, vel solitarijs, quocircà sunt expositissimi scrupulis,

& temptationibus, solitudinem amant, fugiuntque hominum conversationes, propterea sunt, & tristes, ac morosi, unde aliorum solatio indigent, si tamen aliquando latentur; ita effunduntur, ut insani videantur, quod inde provenit; quia cor melancholico humore diu oppressum, dum per latitudinem dilatatur, magno impetu melancholicum illum humorē discutit; sunt etiam tardi, & sui iudicij tenacissimi, (ac ob id intractabiles) uti humor melancholicus est tenax suarum partium, ideoque proclives sunt ad febres quartanas, cachexias, lienis scirrhos, melancholiā Hypochondriacam &c. Si vero à mediocritate non deflectant, ingeniosi sunt, ob Melancholiā, à qua, sicuti vinum à tartaro, arbor à radice suam acquirit fermentationem, salem, & robur omne. Hinc tales sunt apti ad rempublicam gubernandam, quia fortes sunt in semel statutis, & non facile dimoventur à proposito,

si tales è naturâ sint, evadere solent in viros egregios, tâm in studijs præler-  
tim altioribus, quàm in alijs artibus,  
quibus se semel tradiderunt, eò quod  
solidè, & constantè uni, eidemquè rei  
incumbunt: si verò deflectant stupidi  
fiunt, & ob indispositionem sensitivi,  
insensibiles, qui vel raro, vel nun-  
quam irascuntur.

Ex combinatione autem harum  
quatuor primariarum complexionum  
rursus aliæ in multis hominibus con-  
temperantur; hinc aliqui sunt *Chole-  
rico-Melancholici*: nempe, qui ex utrâ-  
què prædictâ complexione notabilitè  
participant, alij *phlegmatico-melanco-  
lici*, &c. undè & complexiones ex hac  
coatemperatione diversas oriri obser-  
vatur.

Jam ex diversitate climatum aliæ  
nationes sunt *Aquilonares*, aliæ *Austra-  
les*, aliæ *Media*, de quibus Ptolomæus  
prædicat. *Aquilonares* prævalent vi-  
tibus, & ferociâ, quoniam frigore in-

tra corpus sopitur calor. *Australes*, quibus multum inest caloris, & spiritus tenuis, astutiâ prævalent, corpore sunt imbecilles, servituti, & libidini obnoxij. *Medij temperata Zone* incole, ingenio, & corpore pollent, reipublicæ apti, suæquè libertatis quantum possunt tenaces. Hinc ulterius singulares Regiones, singularem determinato planetæ influxum attribuunt Astrologi: ita cum singulari prædominio *Arabes*, *Mauros*, *Ægyptios*, & *Sinenses* *Veneri* subiciunt. *Italos*, *Hispanos* *Gracos* ad *Jovem* referunt. *Germanos*, *Anglos*, *Gallos* peculiari Martis influxii subdunt. Hinc etiam ex diversitate climatum *Græci* habentur leves, & infideles, *Cretenses* semper Mendaces; *Afri* subdoli, *Hispani* graves, & sic de reliquis nationibus, & populis sub diversis climatibus constitutis. Unde etiam aliquæ integræ nationes sunt promptissimæ ad prædas, aliæ avidissimæ ad vindictam sumendā, aliæ timi- dissimæ

dissimæ, aliæ audaces, & generosissimæ, aliæ imbelles, & luxui deditæ, nonnullæ feræ, aliæ mansuetæ, ac mittes, aliæ ad imperia, aliæ ad servitutem natæ, aliæ ingenio præstantes, aliæ penè omnis mentis usu destitutæ. Unde verissimum illud Balbi Jurisconsulti assertum: *Ingenia hominum fieri deteriora, vel meliora, ex aëris dispositione, qua utique est sub diversis climatibus celi, diversas & ratio est, nam ab anima mens, à spiritibus anima, à sanguinis temperie spiritus, ab aëre ambiente sanguis, à cæli climate aër ambiens, minùm quantum dependet.*

Non tamen ex eo statim, quod hic, vel ille, sit hujus, vel illius nationis, vel regionis, inferre licet, eum esse obnoxium ijs vitijs, quæ ad tales inclinationes consequi solent, sed omnibus, & singulis Vulgare illud dictum Socratis in mente sit: *Talius fuisset, nisi alius me virtus fecisset.*

Quæ tamen omnia suâ cum debitâ proportione ad individuorū influxum referri poterunt, ad quæ duplex communiter cæli respectus influit, & universalis patriæ, & particularis propriæ nativitatis. Ulterius posset curiosius, quam utilius inquire.

## DISSERTATIO XII.

*An aër ad inducendos morbos maiorum vim habeat, quam Cibus, & Potus?*

**I**Nordinatam vivendi rationem fo-  
res quidem plurimis corporis ma-  
lis aperire, non ullus differit; cùm  
omnes ferè morbos venæctione, pur-  
gatione, alijsquè evacuationibus cu-  
gari ex praxi pateat, quibus superflua  
humorum copia auferenda est, quæ  
ex nimiâ ingestorum copiâ dicit ori-  
ginem. Unde Gallen. *in lib. de cibis*  
*oni, & mali succi, & i. de diff. febr.*  
*c. 3. ex pravâ victus ratione morbo-*  
*sum apparatus contrahi, abunde*  
*com-*

commemoravit. Aërem tamen cibo, & potu majorem vim habere ad infligendos morbos tam ratione quam experientia certum esse videtur; illum enim principem locum ex rebus sex non naturalibus obtinere, & hinc causam communissimam esse, atque morbos communes ab illius vitio ut plurimum exoriri ab Hyppoc. in lib. de aëre, & multis alijs locis exponitur: At probabilissima videtur esse ratio: quoniam aër subtilis est, tenuis, valdeque mobilis, (ex dissert. 2dâ abundè constat) & in corpus omne, tūm per inspirationem, tūm per diastolen arteriarum (ut in dissert. 3tia clariss explicatum est) totius corporis penetrabilis, suisque vitijs, scilicet qualitatum intemperie, impuritate substantiæ, & inquinamentis partes corporis lædit: quoniam inde sinenter nos ambit, & inspiratur, & quidem nobilissimas corporis partes, cor, & cerebrum integris viribus aggreditur, quod videre est in

*dissert. 3tia.* Hæc autem propositæ veritati nihil officiunt, quod aër corpus nostrum (uti cibus, & potus) non nutrit, quia alimentum non est, ut in substantiam nostri corporis mutaretur, aliàs mixtum corpus fieret: Alimenta enim omnia *ex plantis, & animalibus* (ut asserunt Medicinæ Proceres) defumi debent, nec ex mineralibus, quia hæc in substantiam corporis, quæ talia: commutari non possunt: & omne mixtum, quod vim habet nutriendi, vitam habuisse necesse est, undè maximam pro conservatione nanciscitur similitudinem. Nequè etiam aërem ea sustinere admittitur, quæ nutrimenta in corpore nostro pati necesse est; scilicet masticari in ore, præparari in ventriculo, concoqui, & in chylum converti, in corde transmutari in sanguinem, per venas, & arterias in reliquum corpus deduci, à partibus attrahi, attractum retineri, retentum concoqui, concocta assimilari, & ab excremen-

crementis liberari. Ex hoc ita non inferendum est , aërem propterea ad inducendos morbos minorēm cibo, & potu habere vim ; cùm aëris usus ita sit necessarius, ut eo *juxta Anthonem lib. de flatibus* vita humana carere non possit, cuius alteratione assidue afficimur , adeō ut nubilo , & pluvio Jove tristiores , fudo , serenoquē cælo latiores reddamur. verūm non unum oritur in corpore malum , quin inter res non naturales primas teneat aër : id ipsum experimur in hyeme ab aëre in qualitate frigidâ excedente (excrementis collectis, & poris obstructis) præcipue excitari Cephalalgiam , uti annotavit *Cons. 3. aph. 13. & 22.* Eandem etiam in estate ab aëre in calidâ qualitate excedente radijs ita solari- bus nimis imprægnato induci, demon- strat Luculentèr *Guern. Rolfinc.* In *Consil. Med. Consult. 2da. fol. 55.* Aës enim calidus , & siccus promovet effu- sionem animalium spirituum , ex quā plu-

plurima exoriuntur mala, observant singulis diebus practici. Quid ita aër autumnalis, qui detegere solet errores æstatis. Quid & vernus, qui inter causas non naturales *melandholia hypochondriacæ*, *alijsquè similibus morbis suum addit symbolum*. de quibus *Hippoc.* 3. *aph.* 11. quam enim atram bilem Autumnus, & crassam pituitam Hyems naturâ suâ generare solent, illam utramquè ver movet, cuius essentia quidem salubris, *uti Hippoc.* 3. *aph.* 9. ex accidente tamen, cùm in corpore impuro varios producat affectus, morborum ferax est, *ita Hippoc.* 3. *aph.* 11. & 12. Non minorem etiam cerebrum turbandi vim habet noctu lunaribus radijs illustrata vernalis aëris constitutio, quæ *Epilepsiam*, *alijsquè hujus generis morbos* jam læpius induxerit; Testis est *Anthillus apud Stebaum Medicus*.

Prætereo aërem Aquilonium, qui judicio *Hippoc.* 3. *aph.* 23. morborum lateralium, pulmonum inflammatio-

tionum, lethargi, gravedinum, tussum, vertiginum, & apoplexiarum &c. principium esse solet. Quid meminero de aëre austriño, qui ab authoribus plumbeus esse dicitur: unde Horatius lib. 2. Serm. Satyr. 6. Vers. 18.

Nec plumbens Auster  
Autumnosquè gravis, Libitina quæ-  
sus acerba.

Quod plumbeos homines efficiat, gra-  
vans caput, & membra. inde Cons.  
3. aph. 5.

Auditum minuit, visumquè obnubi-  
lat Auster,

Languida membra facit, caput &  
gravitate fatigat;

Hac, ubi crebrescit, patiuntur debi-  
liores.

At contrà Boreas tusses movet, aspe-  
rat era,

Supprimit urinam, siccum quoquè pro-  
creat aluum.

Taceo nunc de morbis à malignis syde-  
rū influxibus, ac qualitatib⁹ occultis in-  
du-

ductis, qui uno eodemquè tempore, unâ in civitate aërem immutando varijs modis corpora viventium afficiant, quòd quidèm morbi Endemij, & Epidemij Tempore pestis, & malignarum febrium declarant.

Verùm non in apertum profero infinita alia mala, quæ aër suo alterandi modo corporibus humanis inferre solet, quæ quidèm tūm ab Astronomis, tūm à Philosophis, & Medicis accuratius sunt inquirenda.

Atquè hæc de aëre, quatenus sanitatem conservare, vel morbos induce-re solet, dicta sufficient. Sequitur nunc De Cibo,



## DISSESTITO I.

*Quid sit Cibus, quid Medicamen-  
tum, quid venenum, & quomodo  
bac inter se differant?*



Orum, quæ assumuntur à nobis tria sunt genera ; *Alimentum, Medicamen-  
tum, venenum.* Primo Arist. lib. 2. de anima. c. 4. dicit, *Alimentum esse id, enijs beneficio facultas anima vegetativa corpus ani-  
matum conservat* Avicenn. lib. 1. Doct. 3. peculiari capite statuit. *Ali-  
mentum esse corpus, quod instaurat id,* quod in corpore est consumptum. Gallen. Lib. 1. simplic. c. 3. de temperam. do- cet : *alimentum esse id, quidquid ex quâ-  
dam substantia proprietate aptum est in* corporis substantiam converti , nec non l. 1. simpl. c. 1. asserit. *Alimentum est* id,

id, quod à calore nativo commutatur, in corporis nostri substantiam converti illud què nutritre potest. Horum authorum definitiones licet inter se verbis differre videantur, re ipsâ tamen inter se conveniunt, quoniam id ponunt, in quo natura alimenti consistit, est autem illud reparatio illius, quod per actionem nativi caloris est consumptum, & consequenter etiam vitæ corporis conservatio, & augmentatio, quæ reparationem illam, & nutritionem sequitur. In hoc autem cibus ab alimento differre videtur, quod cibus nomen acceperit à passione, quia editur, & manducatur, alimento autem ab additione, sive ab usu, & officio, quoniam nos alit, & restituit aliquid in illius locum, quod à calore nostro fuit absumptum. Hinc quomodo cunque accipiatur alimento, sive cibus hæc causalis definitio satisfaciet, si dicatur, *Alimentum est corpus mixtum à plantis, & animalibus vescis petitum, à facultate animæ nutriti-*

vâ,

vā per calorem nativum concoctūm, partibus corporis vivi assimilatum, ut reponatur, quod est absumptum, & corpus nutritum usquè ad consumptum, & definitum terminum conservetur: hæc enim definitio requisitis omnibus stipata primas habere videtur; quia materia sunt plantæ, animalia. Efficiens primariò est animæ facultas nutriti- vā, & instrumentalis, que est calor no- strer natus. finis est conservatio anima- ti corporis in vita, forma, que in eo elu- cere videtur, ut nutrimentum non sit quodlibet corpus dispositum, sed mixtum, ac ex elementis compositum, & tale quod sit appetitum, attractum, retentum, concoctum, ab excrementis depuratum, tan- demque partibus alienis prorsus assimi- latum.

Medicamentum describitur à Gal- len. l. i. simpl. c. i. quod sicut alimen- tum corpus nostrum instaurat, & auget, ita medicamentum est, quod corpus no- strum alterare potest, & à statu praterna-

turali ad naturalem partes animati reducere. In hoc autem differunt inter se quoniam alimenta utilia sunt, & ad vitæ conservationem nobis intervient, ac propterea vitari nullo modo possunt, nobis enim assimilantur, & ob id restaurant, quod est deperditum; Medicamentum autem alterando, & evacuando, alijsquè modis in nos agendo, prodest quidem, sed ad vitæ custodiām simplicitè, & absolutè necessarium non est, nequè nobis assūlatur, ac propterea corpus non nutrit, nequè auget.

Venenum est, quod natura sua congruitate, & qualitate occultâ etiam exiguâ in quantitate, vel assumptum, vel inspiratum, vel foris admotum corpus corrumptit, & destruit, ac propterea alimento è diametro opponitur, medium inter hæc duo extrema locum obtinente medicamento. Quod autem aliquid ad nutriendum, vel corrumpendum corpus sit comparatum, aliundè

undè non provenit , quām à certā pro-  
portione temperamenti cuius causa  
alimentum potentia est tale , quale est  
vivens : venenum verò vitæ conser-  
vationi adversatur , quam tempera-  
menti proportionem nulla humana  
mens à priori definirè potest , siqui-  
dèm sensu rationis ministro excedens  
duntaxat in temperamento qualitas  
percipitur , ac qualitatem ipsa propor-  
tio , nequè tactu percipi , nequè ani-  
mo planè deprehendi potest : itaque  
non est mirandum , si alimenta , & ve-  
nena solà experientiā duce nobis in-  
notuerint , & pro vario viventium ge-  
nere , mutatā nimis temperamen-  
torum proportione , alimenta , vene-  
naque varient ; adeò ut interdum ho-  
mini sit venenum , quod pecudem  
nutrit , & viceversa pecudem interi-  
mat , quod hominis naturæ est ami-  
cum . Ex quo facile intelligere est ,  
quā ratione venenum agat in corpus .  
Cum enim universo corpori viventi ,  
cun-

cunctisquè ejus partibus certa insit temperamenti proportio , proprijs definita terminis excelsus , & defectus , extra quos vitale temperamentum esse definit , constat eam temperamenti latitudinem perverti , penitusquè destrui oportere ab eo , quod veneni nomen mereatur . Duo autem ad temperamentum vita functionibus inter viens necessariò concurrunt , insita temperies à mutuâ elementorum refractione orta , & influens calor , quo insita temperies actuatur , utrumquè expugnat venenum , eadem pugna geminam infert ciadem , dissolutione caloris influentis , & proprij , seu insiti temperamenti corruptione , non quemadmodum excellens aquæ frigus , & intensus ignis ardor corruptit corpus excessu qualitatis omnia in se commun tantis , sed toto temperamento viventi corpori adverstante , licet in eo nulla sit excellens qualitas , quæ ultra medicamenti vires agere , atquè alteratio nis

nis fines excedere deberet: propterèa ea impropiè venena appellantur, quæcunquè qualitatis excessu nos corrum-punt, vel frigiditate extinguedo, vel caliditate inflammando, eaque non genere, id est, naturæ contrarietate, sed copiâ necare omnes cum *Galleno* confitentur.

At propriè venena, quæ genere ne-cant, minorem quantitatem habent enim, & ipsa determinatam ( qualis ad omnem actionem naturalem requiri-tur ) postulant, & in paruâ quantitate brevi totum corpus immutatur.

Nequè est existimandum, propria venena omnia inferre mortem prima-riâ cordis affectione, quamvis certum sit ea vitæ adversari. Nam partium temperamenta proportione, cùm dif-ferant, non habent eandem cum ve-nenis repugnantiam, sed pro variâ par-tium dispositione; variat quoquè ve-nenorū actio, cùm alia primò affi-ciant cor, omnium deterrima; alia pul-

mones, ut *lepus marinus*; alia vesicant, ut *cantharides*; alia nervos, ut *argenzum vivum*; alia cerebrum, ut *ursi cerebrum*, *medulla arietis*, & quæcunquæ alia hominem dementant; alia testes, ut *mensstruum corruptum*, quanquam à partibus primò læsis necesse est cordi communicari noxam, priusquam vita decedat: hæc autem *claritatis gratia* licet dicta sunt de veneno.

Quod autem quædam alimenta reperiuntur, quæ simul corpus nostrum per alterant, atquæ talia *alimenta medicamentosa* nominare oportet; alimenta sicut quidem, quatenus familiaritate substantiæ corpus nostrum nutrire possunt, medicamentaverò, quatenus idem alterant: ita è contrà etiam *medicamenta alimentosa* dicta inveniri possunt, quæ quidem maximâ parte corpus nostrum alterant; aliquid tamen, quod in substantiam corporis nostri verti possit, obtinent. Et ita hæc sunt differentiæ alimenti, medicamenti, atquæ veneni.

DIS

## DISSERTATIO II.

*Quis est cibi usus, & quænam in eo  
potissimum consideranda sunt?*

**C**ùm corpus hominis in perpetuo sit  
fluore, & triplicem suæ substantiæ  
scil: spirituosa, humidæ, & so-  
lidæ jacturam patiatur, nequè illam  
ob indesinentem caloris nativi aetio-  
nem evitare possit: itaque necessitas  
postulat, ut quod corpori decessit,  
aliundè ipsi restituatur, nisi enim hoc  
asieret, homo inter breve spatum in-  
teriret, ita etiam calor nativus una  
tandem evanescit, si subjectis, quibus  
sovebatur, sit destitutus, estque hanc  
ob causam vitæ, & necis Author, illi-  
quidem per se, hujus autem per ac-  
cidens, ut enim ignis combusto ligno  
foco, vel fornace, oleo absorbto in  
lampade extinguitur, sic calor noster  
subjectis depastis evolare solet.  
Sibò igitur opus est, quo, quidquid so-

lidioris substantiæ absumptum est, instauratur; quâ de causâ etiam naturâ omnibus animalibus vis id, quod d'est, appetendi inest. Ex hoc itaque alimenta potissimum consideranda, ejusdemquè usus cognitu maximè necessarius est. Nam de nullâ rerum harum, quæ ad sanitatis conservationem sunt necessariæ, homines magis solliciti sunt, quam de cibo, & deinde potu, nec in ullâ magis, & frequentius peccatur. Quamvis aëre, reliquisque ferè, ut offeruntur, uti solent: at in cibo maximè delectum habent, hunc què illi præferunt: hic condimenta, hic obsonia quærunt; nequè semper cum valetudinis commodo. Dum enim gulæ indulgent, non semper saluberrimos, sed plerumquè palato gratissimos usurpant cibos. Sumuntur autem alimenta è duobus rerum generibus, vel à plantis è terrâ nascentibus, vel ab animalibus, quæ verò ab animalibus desumuntur duplia sunt;

vel partes animalium, vel quæ, etiam si partes animalium non sint, ab animalibus proveniant, ut ova, lac, Butyrum, caseus, mel, & similia. Mineralia verò, & non paucæ etiam plantæ ex alimentorum serie prorsus excluduntur. Ut autem alimenta hæc nobis salutaria sint, observandæ sunt circumstantiæ eorum: *bonitas*, & *malitia*, *Mensura*, sive *quantitas* tūm continua, tūm discreta, *ordo* eorum, que ingerenda, qualia singulis convenient, *tempus*, & *hora sumendi*, *consuetudo*, *delectatio*, *usus*, *annus tempus* &c: de quibus sigillatim ex sequentibus dissert. colligendum erit.

### DISSERTATIO III.

*Quis cibus judicatur bonus, & salubris, quis malus, & insalubris?*

**U**T corpus morbis obnoxium non reddatur, sed suâ in sanitate conservetur, cibis bonis & laudabilibus vesci oportere necesse est; cibi

autem *bonitas* consistit in substantiâ, per quam intelligimus formam, & materiam, ex qua illi componuntur. Sub formæ nomine comprehenditur illa totius substantiæ proprietas, quâ cibus, vel potius alimentum idoneum redditur, ut in corporis nostri substantiam convertatur; hinc alimenta nos nutrire propter substantiæ similitudinem, quam habent cum corporibus nostris, dicitur. Ex hoc *cibi* dicuntur *boni*, vel *mali succi*, multum, vel parum nutrientes, quatenus habent substantiam corpori nostro magis, vel minus analogam, eamquè priorem, aut multis partibus hæterogeneis permixtam. Ad materiam autem referuntur *durities*, *mollities*, *raritas*, *densitas*, *gravitas*, *levitas*, *crassities*, *tenuitas*, *lentor*, & *friabilitas*; quamvis hæc sub qualitatum secundarum classe contineantur; materiam tamen proximè sequuntur, ac proptereà qualitates materiales nominantur, (quia ex variâ permixtione

bumidi cum sicco oriuntur) ad substantiam, vel substantiae modum reducuntur.

Cibus ergo bonus, & salubris ratione substantiae sit, qui bonum, & laudabilem habet succum, & qui benè nutrit, qui paucas in se habet excretitias superfluitates, qui corruptioni, & putredini non est obnoxius, qui integrati odoris, & saporis est expers, non acer, mordax, salsus, amarus, aut validè acidus, qui lentore, & visciditate caret, nempe, qui nequè nimis duri, crassi, densi, nequè nimis molles, rari, aut tenues, sed mediocrem obtineant consistentiam, ac etiam is cibus bonus, & laudabilis esse censetur, qui magna cum voluptate assumitur *de quo in seq. clariss.* Tales enim cibi sunt facilis digestionis, & celeris distributionis *Eupepti*; Boni succi *Euchymi*, multi nutrimenti *Oligotrophi* dicti. Ex quorum genere sunt *panis expurissimâ tritici farinâ confectus*, recens, benè coctus,

coctus, & fermentatus, juscula gallinarum, Caponum, & carnium laudabilium aliorum animalium quadrupedum; ova præterea gallinarum tremula, Sorbillia, & recentia; carnes gallinarum, Caponum, gallorum indicorum Juvenum, Perdicum, phasianorum, aliquarum avicularum scilicet in montibus, & collibus degentium; nec non caro vitulina, vervecina, & hedina, & alia. Tales enim cibi puros producunt spiritus, calorem fovent, viresque non solum tuerentur, sed etiam augent, faciuntque, ut floridus, & vividus calor in corpore eluceat, & ut actiones omnes ritè obeat. Cibus vero malus, & insalubris est difficilis digestionis, & distributio-  
nis, quia difficultè digeritur, dispe-  
ptus; mali succi cacochymus; pauci nu-  
trimenti polytrophus dictus, talis enim  
difficultè concoquitur, paucum ali-  
mentum suppeditat, facile corrumpi-  
tur, & multa excrementsa relinquit, is  
enim est, qui duram, crassam, gravem  
den-

densam &c. Substantiam obtinet, ut  
 panis furfuraceus &c. Carnes caprarum,  
 bircorum, Bovum, aut vaccarum senio,  
 & laboribus emaciatorum, carnes item  
 ferarum fumo indurata, aut sale condi-  
 ta; viscera pecudum; caseus putridus, &  
 verminosus, pisces squammis carentes, &  
 canosis, lutoſisquè in piscinis, vel paludi-  
 bus, & lacubus vicitantes, ut annoſe  
 carpiones, anguilla &c. His edulis  
 annumerantur fructus arborum, & fru-  
 ticum, olera item multa, nec non cucu-  
 meres; Legumina, ut sunt lentes, faba,  
 pisa &c. ita etiam tubera terra, por-  
 rum, Brassica, & similia. Alius cibus  
 etiam dicitur firmus, qui quidem mul-  
 tū alimenti suppeditat, sed magno ca-  
 loris robore ad concoctionem indiget;  
 aliis vero infirmus est, qui quidem  
 promptè coquitur, & facile nutrit, sed  
 exiguum, & paucum alimentum, vel  
 quod citò dissipatur, suppeditat.

Cibus verò, seu potius alimentum  
 illud quandoquè medicamentolum, de-

quo in primâ dissert. de cibo dictum est.  
corpus nostrum in primis qualitatibus,  
secundis, vel etiam occultis alterat,  
undè refrigerat, calefacit &c. Incidit  
attenuat, incrassat, aperit, laxat, ad-  
stringit, lac, vel semen minuit, vel au-  
get, & est secundum Medicos vel di-  
reticum, vel Hystericum, Becchicum,  
sou pectorale, somniferum, calculosum,  
nephriticum, diaphoreticum, alexiteri-  
cum &c. De quo plura ex materiâ me-  
dicâ desumenda sunt.

Hi autem cibi boni, & mali, salu-  
bres, & insalubres omnibus hominibus  
sequales non sunt, varia enim in ijs ob-  
servanda est dispositio, cum alij magis  
labori deditis, & calorem vegetum ha-  
bentibus, alij magis otiosis, langui-  
dis, ac debili calore præditis conveni-  
ant; ita quibus calor fortior est, ijs cibi  
difficilis digestionis, & distributionis  
qualia sunt Carnes bubula, cervina, le-  
porina, infumata &c. bene concoqu-  
untur. Cibi autem facilis digestionis,  
&

& distributionis, qualia sunt *carnes vitulina*, *ova sorbilia*, *tremula*, *capones*, *galli indici*, *perdices &c.* Pejus, & deterius concoquuntur; ratio est, quia à calore fortiori aduruntur, ac etiam corruptuntur; sicut enim facile alterantur, ita facile etiam vitiantur: hoc demonstratur in melle, quod natura suā dulcissimum est, & si diu coquatur, amaritudinem contrahit; contrarium videmus in carne bubulâ si diutius coquatur, sapidior evadit. Nunc ad propositum mel pueris, atquè juvenibus, qui calidi, maximè noxiū; ratio est, quia à vegeto illorum calore aduritur, & in bilem vertitur; senibus autem è contraria mel est sanum, & commodum, quoniam à modico illorum calore concoquitur. Videmus itaque, quod Rustici, opifices, & graves labores habentes à *Leguminib⁹*, *caseo*, *carne bubulâ*, *Brassicā &c.* optimè nutriantur, ubi à carnibus vitulinis, pullis gallinaceis, columbinis, & avibus sorbilibus suf-

ficienter ali non possent, nec non ab ijs maximè læderentur.

Ex his igitur facile quivis desumere poterit, quod pro diversâ hominum naturâ, vitæ genere, & exercitijs &c. Idem cibus aliquibus sit bonus, & salubris, alijs erit malus, & insalubris, & è contrâ.

## DISSERTATIO IV.

*An detur aliqua generalis in moderata Ciborum quantitate regula?*

**G**eneralem ciborum quantitatem, & regulam præscribi non posse interdicit maxima temporum, ætatum, ac naturarum diversitas, quantum alia à tenui, alia à forti, & liberaliori diætâ lèduntur. Ea tamen cui libet alimentorum debet esse quantitas, quæ reficiendo, & alendo corpori sufficiat; fortibus enim liberalior, imbecillibus parcior cibus concedendus est; ijs enim, quibus major concoquendi, & digerendi vis inest, ali men-

menta plura , atquè ea , quæ sunt diffi-  
cilioris concoctionis ; quibus verò de-  
bilior est calor , ijs pauciora atquè ea ,  
quæ sunt facilioris concoctionis offe-  
renda erunt : perpetua autem sit hæc  
regula ; nunquam satiari cibis , & im-  
pigrum esse ad laborem ; quām Hyppoc.  
6. Epid. Sect. 4. aph. 20. dereliquit ; ne-  
què etiam omissus est Hyppocratis  
aphorismus 5. l. 1. ubi tenuem victum ,  
enīquè admodum exquisitum Paulò ple-  
niori esse periculosorem annuntiat ; re-  
pletioni enim , quam inanitioni occur-  
rere facilius est , præcipuè si inanitio so-  
lidis jam partibus communicata sit ,  
tunc enim privationis vices quodam-  
modo subit , de quâ ad habitum vel  
difficilis , vel nullus datur omnino re-  
gressus ; profectò facilius est causis re-  
plentibus subvenire , quam exhaustum  
humidum primigenium , & exhaustas  
partes solidas alimento reficere .

Ad hoc triplicem vietus rationem  
posuit Hyppoc. & Gallen. nempè te-

nuem, mediocrem, & plenam. Tenuis est, quæ vires imminuit, & ægrotis tantum convenit secundum illud, corpora vitiola, quo plus nutries, eò magis laedis. Mediocris, quæ in eo statu, in quo est, naturam conservat. Plena quæ auget, vel aliquid addit; postrema autem hæc species sanis, & benè valentibus ut plurimum convenit, quibus mediocris vietus robur imminuit, plenus verò auget; nam sicuti cibus sanis robur, ita ægrotantibus moribus est. In sanis itaque semper observandum est naturæ robur, vel augendum alimentis, non frangendum; quod in ægris non potest fieri, quia vietus mediocris vires conservans in sanis, eas imminuit in ægris, morbum augendo, quia quò magis nutris eò magis laedis ~~uti dictum est~~.

Tam exacta autem vivendi regula nostro tempore esse non potest, quam Hyppoc. supra citat. loc. non satiari cibis &c. constituit; liceat autem sanis,

&amp;

& benè valentibus fortioribus, donec  
vigeat appetitus, ad latietatem come-  
dere ; modò ab assumpto cibo non  
sentiant torporem quenidam, vel in  
membris languorem, gravitatem, la-  
situdinem corporis, majorem ad som-  
num inclinationem, ad studia, alias  
què mentis occupationes se esse inep-  
tiores, quam anteà, dum essent agiles,  
& alacriores ; si vero ex his quoddam  
fentiatur ; perspicuum est, eos justam  
mensuram excedere, & plus ingessisse,  
quam natura exigebat : *Omne enim ni-*  
*mium natura inimicum.* Hinc cibi  
quantitas eòusquè imminuenda est,  
donec prædicta incommoda non am-  
plius appareant. Et si hoc non serve-  
tur, fiet, quod dicit Hyppoc. l. 2. aph.  
17. ubi plus cibi, quam pro naturâ inge-  
ssum est, hic morbum facit. Cujus ve-  
ritati sacrae scripturæ autoritatem sub-  
nectere licet. Ecclesiastes c. 37. *Noli,*  
*inquit, avidior esse in omni epulatione,*  
*& non te effundas super escam, in multis*  
*enim*

enim cibis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad cholera m: propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinentes est, adjicit vita. Hinc sobrietas, & ciborum parsimonia sanitatis, & vita longæ parens dici consuevit: repletio vero est multorum morborum origo, & abbreviat vitam, unde notum proverbium: *plures occidit gula, quam gladius.*

De signis proinde repletionis tradidit Hyppoc. 3. de diætâ, & sunt hæc, quæ sequuntur in ordine. Capitis dolor, & gravitas, somni longiores, & perturbati, insomnia turbulenta, Rixæ, contentiones, ut videarur homo cum aliquo pugnam comittere; somnus etiam diurnus præcipue post pastum; ( eos tamen excipient, velim, qui à juventute somno pomeridiano ita assueti sunt, ut, si ad minimum per unum horæ quadrantem non dormint, omnibus sint inepti negotijs) segnities totius corporis, lassitudines, & dolores.

dolores vel in toto, vel in aliquâ parte; appetitus dejectio, aut imminutio, cruditates in ventriculo, ructus acidi, vel nidorosi, alui constrictio, aut tarditas insolita; distillationes frequentes, nares à canâ repleta, è quibus tamen nihil, aut parum emungitur; manè cùm exerceri incipient, multùm emungitur, ac expulitur. Flatum copia prater consuetudinem, alui prostuvia interdum à corruptis alimentis, & interdum dysenteria. Hæc autem si advertantur, contra repletionem quærenda sunt remedia, nec statim ab uno extremo ad aliud transeundum quod docet Hypp. 2. aph. 51.

*Confertim, & subito replere, aut evacuare,*

*Et subito frigus producere, sive calorem,*

*Aut utcunquè aliter corpus agitare nocivum,*

*Naturæ siquidem nimium quocunque repugnat,*

*Quod*

*Quod verò sensim procedit, tutius est;*  
*Maxime ab hoc si quis paulatim transit*  
*ad illud.*

Ab inordinata vivendi ratione non est immediate transeundum ad exactam regulam; sed id sensim faciendum, minuendo modicis subtractionibus consuetam quantitatem, donec ad eam perveniatur mensuram, quæ non amplius corporis actiones impedit. Omnes enim subitæ mutationes, si sint notabiles, offendunt naturam, uti Hyppoc. cit. loc., propter consuetudinem (quæ veluti est altera natura) à quâ violentè receditur, & inducitur, quod illi est contrarium; sicut id, quod est naturæ contrarium, vehementer sentitur, & affligit: ita quod est contrarium consuetudini, quando illa adhuc viget, undè sensim recedendum, quod sensim fit, tutum est; ita enim inordinata illa vivendi regula veluti per exiguae particulas gradatim minui potest, uti anteà gradatim crevit, & ita mutatio talis molesta non erit. Qua-

Quapropter cui sanitas sua curæ est, diligentè videat, quæ ciborum quantitas sibi conveniat, ne immodica copia calorem nativum obsruat, & intemperantia, ac crapula (*uti dictum est*) morbos sibi accersat; quamvis enim in alijs conditionibus aliqualis fiat excessus, si tamen parva sit eorum quantitas, tamen melius concoqui, & nutrire potest. Videmus enim moderatam ciborum quantitatem non solum ad sanitatem in eorum statu conservandam, sed etiam profligandos morbos contumaces, & diuturnos maximè conferre; dum enim calor natus paucam illorum quantitatem concoxit, circa humores superfluos occupatur, eosquè digerit, dissipat, & per varia corporis emunctoria sensim eliminat, ut tandem corpus purum, & à causis morbificis liberum evadit.

Hoc videre est in magnis mutationibus temporum v. g. quando à constitutione austrinâ, calidâ, & humidâ subi-

subita, & repentina fit mutatio in aquiloniam, frigidam, & sicciam, multos homines affici catharrho, pleuritede &c. In quorum scilicet corporibus morbosus apparatus latitabit; hos vero minimè, quorum scilicet corpora magis vacua superfluis humoribus reperiuntur; & si à causis externis tale corpus laedatur, multò minor laesio sequitur, quia corpus superfluitatibus vacuum magis resistit. Et quid non confert in morbis incurabilibus, diuturnis, ac contumacibus exacta vivendi regula; etsi eos non auferat, eos faltem multò leviores, & tolerabiliores reddit, & facit, ut ægri cum ijs diu vive-re possint. Herodotus Philosophus tabe laborans beneficio diætæ ad centesimum annum pervenit: Testatur Arist. *in problem.* Quotidie experimunt varios cum scirrho hepatis, lienis, cum calculo in renibus, aut vesicâ, cum vulcere pulmonum, cum antiquâ, & inolitâ intemperie viscerum, cum Enterosele,

Hy-

*Hydrocele, Epiplocele, Omphalocele, Bubocele, Circoscele, Pneumatocele, alijsque herniæ generibus diu vitam producere; & quæ non adhuc alia avertit, tollit, & removet mala; Luculentè videre est apud Ludovic. Cornar Nob. Venet. in libello de vita sobria commodis inscripto ab eo italice edito, qui postmodum in linguam latinam conversus est.*

## DISSERTATIO V.

*An in usu ciborum aliquis sit ordo observandus, ita ut alii prius, alij posteriorius; alij rectius in prandio, alij convenientius in canâ assumantur?*

**N**on exigui momenti est hæc regula, ciborum ordinem spectans; cum de eâ variè disputent Medici, alij enim strictum planè ordinem observari cupiunt, alij nihil referre aestimant, quocunquè etiam ordine cibi ingerantur. In prælenti Galeni 2. de Aliment. facult. c. 2. & 3. de victus rat.

rat. in morb. acut. text. 22. ejusquè sequacium amplectitur opinio , quod alimenta tenuia , liquida, concoctu facilia , laxantia , & quæ facilè descendunt prius ; crassa verò , solida , concoctu difficilia , & adstringentia posterius assumenda sint ; & id non ob hanc rationem solum , cum liquida reliquis alimentis quasi viam sternant , ventriculum ad appetitum incitent , ejusdem tunicas dilatent , caloremquè exsuscitent , crassiora , & duriora alimenta humectent , emollient , ac disponant , ut facilius concoquantur , sed etiam propterea quia liquida efficiunt , ut , quæ durioris , & crassioris sunt substantiæ , probè misceri , & uniri queant , quæ mixtura , & unio facit , ut rectius meliusquè concoquantur .

Nam quæ celerius concoquuntur , qualia sunt liquida , & humida , citius è ventriculo descendunt , & si diutius retineantur , postquam concocta sint , facile putreescunt ; ita si posterius assumeren-

merentur, exitus ijs à cibis crassioribus  
præcluderetur, & hinc præter tempus  
in ventriculo commorabuntur, atquè  
à calore, qui nunquam otiosus est,  
corrumpentur, vitiumquè idem reli-  
quis omnibus cibis communicabunt;  
si verò primo loco ingesta fuerint, et si  
aliquando corrumpantur, tamen exi-  
tum facile invenient, & tandem alios  
cibos non corrumpent, & cum etiam  
illa concocta sint, citius è ventriculo  
descendunt, ac dein reliquis nondum  
concoctis locum cedunt, ut ad fun-  
dum ventriculi devoluta melius co-  
quantur.

Nequè obstat, quod aliqui sint, qui  
dicere minimè verentur, nullum pro-  
fus ordinem in ciborum assumptione  
servandum esse, sed cibos omnes, cu-  
juscunquè etiam fuerint substantiae  
crasse, & tenuis, mollis, & duræ posse  
& prius, & posterius prandij, cænævè  
tempore assumi, hâc moti ratione,  
quoniam cibi non eo in ordine in ven-  
tricu-

triculo manent, in quo fuerunt ingesta, sed miscentur, & in fundo ventriculi ab uno, eodemque calore concoquuntur, & concoctum per pylorum ventriculi ad intestina alegendantur; Etsi post aliquam ex parte concedi possit cibos leviter in ventriculo misceri, sed indejus inferri non posse, omnes in universumque uno eodemque tempore ex ventriculo exire, hoc enim docet experientia, liquida, & humida citius, & promptius excerni, quam crassa, & dura; habetur exemplum in vino, quod citius egrediatur, & ad mictionem homines stimulet, atque irritet, quam cibi crassi, duri, & solidi; ita etiam, quilibet liquidoribus cibis utuntur, prius esuriunt, quam illi, qui crassioribus, quia humida, & liquida facilius è ventriculo descendunt.

Verum & cibos alios rectius in prandio, alios convenientius in cænâ assumi debere testatur Cardanus I. de tñend. sanit. c. 3. inquietus: si quis de vene-

stiveneno sollicitus rutam edere velit,  
ul longè tutius, & minore noxâ id facit  
in prandio, quâm in cænâ: ita etiam,  
nisi quis cibos duriores, crassiores, vel  
tis potentiores, aut tales, ex quibus fætidæ  
exhalationes eveniunt, sumere velit,  
dæjdem minus nocebunt in prandio  
m quâm in cænâ, quia de die os apertum  
loest ac calor diei avocat, & abstrahit;  
i post cænam autem talium ciborum  
vaporosæ illæ exhalationes caput pe-  
tentest varios cerebri producūt effect9.

Cibi ergò boni succi, facilis dige-  
ssionis, ac nullum excessum habentes  
in odore sapore, substantiâ, aut qua-  
litatibus factibilibus, debito, & legit-  
imo modo, & convenienti præparati;  
scilicet elixi, assi, aut frixi, tâm in cæ-  
nâ, quâm in prandio sine noxâ come-  
di possunt, qui secûs se habent, nequæ  
cænæ, nequæ prandij tempore condu-  
cunt, sunt enim concoctioni obstacu-  
lo, cruditates pariunt, viscera obstru-  
unt, & multorum effectuum causæ esse  
solent.

DISSE

# DISSERTATIO VI.

*An sanitati conservandæ conduceat  
prius bibere in pastu consuetus, & or-  
dinario, quam comedere?*

**S**Alubrius est inchoare pastum à ci-  
bo, eoquè assumpto siti urgente  
bibere; statuitur enim ponendum P  
esse prius bonum, & stabile fundamen-  
tum, eoquè posito superinfundendum  
esse potum, alias exiret citius, quām par-  
sit, idquè propterea, quia potus tenuis  
est, & fluxilis; & sic cibos subsequen-  
tes non satis dilueret, ac dilutum non  
probè misceret, ventriculum quoquè  
actuali suâ frigiditate statim refrigerar-  
et, qui tamen potius calefaciendus,  
ut subsequens cibus citius, meliusquè  
concoquatur: hoc accedit & hæc ra-  
tio, quoniam potus vini ante cibum  
ingestus appetitum comedendi minuit  
ex Hyppoc. ita si & vinum ante pa-  
stum assumatur, crudum rapitur à ve-

nis, præsertim existentibus famelicis, nervosquè ferit; ut nil jam de halitibus vini proferatur, qui integris viribus ad caput ascendunt, idquè offendunt: aliasquè mentis perturbationes efficiunt. Reftius ergò fit, si quotidiana oblervetur consuetudo, ut cibus præmittatur, potus autem sequatur: qua proptèr in principio mensæ juscum, aut quodvis aliud liquidum alimentum actu calidum assumi debere affirmatur, ut illud sit veluti fundamen tum stabile totius pastûs. Nequè obstat, quod scholæ solernitanæ versiculus contrarium dicere videatur, nempe: *ut vites penam, de potibus incipe canam.* Non enim de præmissione vini, aut aquæ is intelligendus est, sed de jusculis carnium, brodiolis, ijsquè cibis, qui facile, & brevitemporis spatio concoquuntur, nè, si diutius in ventriculo morari cogerentur, & expectare, donec duriora, crassiora, & solidiora concocta fuerint, corrumpantur;

tur; illa siquidem facilius concoquuntur, & distribuuntur, ita etiam ijs corpus facilius impletur, ac reficitur, quod statuit Hyppoc. 2. aph. 11. *facilius est potu* ( per potum intelligens liquidum alimentum ) *refici quam cibo*. Enarrat Plinius *Lib. 12. c. 22.* quod apud latinos hic mos observatus fuerit, ut jejuni biberent, potusque vini antecederet: ast culpandus fuit is mos, ut & Plinius ipse demonstrat, hunc morem introductum fuisse externis artibus, & placitis quorundam Medicorum novitate aliquâ lele recom mendantium. Aquam tamen bibere ante pastum æstatis tempore iis, qui ventriculum habent calidum, & sitibundum, conceditur, quoniam illa aqua rapitur ab hepate calido, undè ipsi refrigerium aliquid accedit, proindè illis talis haustus aquæ incommodus non est.

Quod etiam pastus potu claudi possit, ita inconveniens non est; hoc tamen observare licet, nè multum bibatur,

tur, ut deinde illa nimia copia potus aliquam in ventriculo fluctuationem efficiat; Quod & Celsus parum aquæ frigidæ in fine pastus assumere posse affirmat, hæc enim frigiditate suâ stomachi orificium leviter constringit, & hinc vaporum alias caput petentium alcensum intercludit. Optimum autem & commodissimum est bibere inter pastum, quod schola solernitana monstrat:

*Inter prandendum parum, sed sapè bibendum.*

Sic enim potus ad coctionem cibi, & rectam ejus distributionem facit.

## DISSERTATIO VII.

*An Cibus simplex melior, & salubrior, an varius, & multiplex?*

**P**riusquam ad hoc quæsitum Respondeatur, Distinctio cibi tam simplicis, quam varii, & multiplicis præmittenda est: Simplex enim cibus velis dicitur, qui unus, & solus est

nullum alium sibi habens adjunctum, estquè aut caro, aut pisces, aut fructus ab arbore decerptus, aut panis &c. vel qui quidem unus, & solus non est, sed alios etiam sibi habet uno, eodemquè in pastu additos, verùm qualitate, & facultate unā præditos, aut saltem non multū dissimiles. Varius autem, & multiplex is est, qui habet sibi oppositos viribus, & qualitatibus diversis, ac planè dissimilibus, & contrariis. Priori modo simplex cibus, si in modicâ quantitate, & opportuno tempore sumatur, nihil sanitati incommode potest, præsertim si sit bonæ nothæ, ac propterea etiā facile conceditur, quoniam ab uno eodemquè calore comedentis concoqui potest: posteriori vero modo acceptus cibus, qui plures sibi adjunctos, & planè dissimiles, atquè contrarios, quales sunt duri, & molles, crassí, & tenues, calidi, & frigi- di, concoctu faciles, & difficiles &c. probari neutiquam potest: ratio est quia

quia talium ciborum natura est con-  
traria, & alii citius, alii tardius conco-  
quuntur: unde cocti, & crudi exsurgunt  
cibi, nam qui facilis sunt concoctionis  
citius, qui difficilioris tardius conco-  
quuntur; ideoque cruditas etiam inde  
nascitur, quæ multorum morborum  
genitrix est admodum fæcunda; imò,  
ob inæqualem talium ciborum di-  
spositionem corruptio exoritur;  
quoniam qui sunt concocti à crudis,  
qui tardius consciuntur, vitiantur, &  
proinde cacochymia quædam inde  
resultat, quæ febres, scabiem, valorum-  
quæ obstructiones parere consuevit.  
Hinc Doctissimus Medicus Disarius  
apud Macrobius Lib. 7. Saturnal. c. 4.  
ita & Socrates monent, illos cibos po-  
tusquæ vitandos, qui ultra sitim, fa-  
memquæ sedandam appetentiam pro-  
ducunt: Cùm itaque illa ciborum  
diversitas semper novo modo gulam  
provocet, & appetitum excitet, ut  
nunquam videatur satis sumpsisse;

causa est imaginatio ciborum , quâ ci-  
bi concipiuntur , ut delectabiles ; hæc  
enim vehementer excitat gulæ appe-  
titum , sicut imaginatio rerum vene-  
rearum excitat ad venerem , ita etiam  
in cibis multùm valet ad gylam exci-  
tandam , præsertim accedente aspectu ,  
& odore ciborum ; undè fit ut justa  
mensura enorimitèr excedatur , & tri-  
plo , vel quadruplo amplius sumatur ,  
quàm natura expetit , & proindè ex  
contrariis diversorum ciborum natu-  
ris , & temperamenti mira in ventri-  
culo exsurgit cruditas , & totius conco-  
ctionis depravatio ; hinc inflationes ,  
tormina , colicæ , obstrunctiones , & ita &  
ratione quantitatis nimiae , ac ratione  
varietatis maxima chyli , seu succi , ex  
quo sanguis conficiendus , cruditas , &  
inquinatio : Unde Franciscus Valerio-  
la Medicus præstantissimus *Loc. Com-  
mun. lib. 2. c. 6.* hâc de re disputans ,  
ait : *Ciborum varietate , & copiâ in eâ-  
dem mensâ , & productione in longas mo-  
ras ,*

*ras, nihil nocentius homini ad salutem.  
Vide plura apud Macrob. Loc. cit.*

An tamen ciborum varietas, & multiplicitas simpliciter, & absolutè damnanda sit, ac nunquam concedenda, quæritur? Cùm notum sit varietatem delectare, simplicitatem autem nauseam parere, Cibus autem, qui cum voluptate assumitur, avidè à ventriculo attrahitur, arctè retinetur, rectiusquè concoquitur? Respondetur varietatem, & multiplicatatem ciborum qualitatibus, & vitiis contrariorum uno, eodemquè tempore, uno eodemquè in pastu prandii, cænævè assumptam meritò ob causam illatam improbari, ut rectissimè Plinius dixisse videatur lib. 2. cap. 3. *Hominis cibum simplicem esse utilissimum;* Cujus sententiam etiam Horatius sequitur lib. 2. sect. 2. *inquiens, victum tenuem, ac simplicem facere, ut benè valeas.* Quod si simul affis miscueris elixa, & simul concilia turdis, dulcia se in bilem vertent,

stomachoquè tumultum lenta ferret pittuita. vide, ut pallidus omnis cena defurgat dubia, quin corpus onustum hesternis vitiis, animum quoquè pergravat una, atquè fatigat humi divinae particulam aura. Quòd si verò cibi varii vel inter se convenient, vel non multùm qualitatibus, & facultatibus discrepent adeò, ut ab eodem ventriculi calore, & eodem etiam tempore concoqui possint, licitū est, ut uno pastu capiantur. Unde non veterum Athletarum more pane seorsim, & carne seorsim velcimur, sed panem omnibus cibis admiscemus, & præter panem cibos, inter huos non magna est disparitas, non incommode conjungimus. Nam talis ciborum convenientia pro quâdam simplicitate habenda est; atquè hæc ciborum varietas majore cum delectatione assumitur, maximè verò si condimenta quoquè talium ciborum naturæ similia, & correspondentia accedant. Nè tamen error in abundantia

dantiā fiat , maximè advertendum est , qui verò , si contingat , potius hominum imprudentiæ , qui facile voluptati succumbunt , quàm cibi naturæ adscribendus est .

Possunt itaque cibi etiam contrariæ naturæ , sed non unâ die , unâvè mensâ assumi , ita ut non opus sit ejusdem temperamenti cibis perpetuò inhærente : aliundè etiam notum est , diversa anni tempora diversos requirere cibos , Æstatem v. g. frigidiores ; Hyemem calidiores , & siciliores &c. De quibus alibi .

## DISSERTATIO VIII.

*An sanitati utilius sit semel , bis , an  
sæpius de die Comedere ?*

**M**agna profectò habenda est circumstantiarum ratio ; an semel , vel sæpius de die comedendum sit : Constitutionis scilicet , ordinis , ætatis , virium , anni temporis , consuetudinis , regionis , vitæ instituti , vel morbi ,

morbi, dum æger curandus est. Mag-  
na autem pars hominum prandio, &  
cæna contenta est, multi tamen jenta-  
culum, alii merendam, alii insuper  
postcænia addunt, sive cænas lecun-  
das, quas græci *Epidorpides* vocant;  
alii totas (qui gulæ, & ingluviei dediti  
sunt) namquæ dies, aliquando & inte-  
gras noctes vorando, & Baccho strenue  
litando consumunt: licet antè aliqui  
illorum ad tempus, vel ob virium ro-  
bur, vel caloris ubertatem, vel ventri-  
culi bonitatem, vel exercitiorum cor-  
poris frequentiam nihil indè mali sen-  
tiant, noxa tamen successu temporis  
se exserit, & pœnam gravem, certain-  
quæ ob neglectam temperantiam in-  
fert: uti Galen. *De cib. Boni, & mali*  
*succi cap. 21. Avicenn. 3, Doct. 8. c. 7.*  
monent. Nimia enim cibi & potûs  
ingurgitatio, & helluatio calorem ob-  
ruit, atquæ obtundit, cruditates parit,  
viscera, & vasa obstruit, febres putridas,  
cachexiam, scabiem, podagrum, calculum,

mor-

*morbos alios, & in primis hydropem inducit.* Saluberrimum itaque est, ut homo bene temperatus bis de die tantum cibum capiat, sic enim omnia, quae & ex famis diuturniore tolerantia, & crebrâ cibi ingestione damna evenire solent, præcaveri possunt; bis enim de die saturum esse, sanè noxium non est: modò tantum cibi assumatur, qui ventriculum non gravet.

Pueri, & juniores sæpius comedere solent, quia plurimum habent calidi innati, hinc plurimo indigent alimento, calor enim plus consumit: ita etiam qui validi sunt, sani, & juvenili aetate constituti, & qui duros labores subeunt, nec non qui in frigidâ regione degunt frequentiori, & largiori cibatione opus habent; undè etiam tales vel calorem habent vegetum, qui concoctionis est author, eademque bene digerit, quae difficilius concoquuntur: vel tales viribus pollent, quae per victum sunt conservandæ:

vel ob labores , & exercitia magnam  
spirituosa , humidæ , & solidæ corporis  
substantiæ consumptionem patientur,  
ideoquè etiam tales & frequentius , &  
liberalius cibandi sunt , ut restituatur,  
quod est absumptum, atquè discussum.  
Undè Cous. I. aph. 17. dictarum cir-  
cumstantiarum in cibatione non le-  
vem habuit argumentandi modum ,  
qui declaratur his versibus :

*Advertendum etiam , quos bisuè , se-  
meluè cibare ,*

*Partitimuè decet , quibus & concedere  
largam*

*Proderit , aut parcam potius præscribe-  
re mensam :*

*At ratio vita simul est nonnulla per-  
acta ,*

*Temporis , etatis , nec non regionis ha-  
benda .*

Senes è contrà maximè in ultimâ se-  
nectutis parte constituti teste Hypp. I.  
aph. 13. facillimè jejunium ferunt , ac  
proindè paucò viciū ob sequentes ra-  
tiones

tiones sunt contenti. Et primò ob caloris paupertatem , qui largum cibum concoquere nequit. Secundò ob siccitatem,densitatem,compactiōnem , constructionemquè corporis habitūs , ex quo per cutem parūm exhalat. Tertio,cùm senes ob virium imbecillitatem rarius,& minus exerceantur , undē corpus eorum etiam minus consumitur. Quartò , quia illorum ventriculus cruditate , & phlegmate scatet, fitquè ob caloris exiguitatem : è contrà verò minus adolescentes , constantem , & virilem agentes aetatem, calidiores, laboriosiores, ac habitu corporis rariore præditos , minimè , autem pueros jejunare posse sequentes declarant argumentationes. Et primò,quia adhuc crescunt , & ob id nutrimento egent , tām pro nutritione , quām pro augmentatione corporis. Secundò , cùm plurimūm habeant calidi innati,quod nunquā otiosum. Tertiò,quia in perpetuo sunt corporis motu,

tu, qui calorem auget, multumquè in pueris dissipat, ac depopulatur. Quartò, quia habent cutem mollem, laxam, & raram, per quam multum sudoris, & vaporis emanare solet. Quintò, cùm eorum humores sint calidi, & tenues, ac proindè facile resolvuntur & dissipantur.

Etsì veteres omnes, qui temperantiam eximiè coluère, unà refectione contenti fuerint, idquè vel post solis occasum, vel horā diei nonā, seu tertiā post meridiem: ut refert Cassianus *Collat. 2. Abbatis Moysis c. 25. & 26.* Tamen multi convenientius censem, ut senes bis reficiantur, distributâ eadem in duas partes mensurâ, quæ ad semel sumi deberet; & ob rationem jam anteâ dictam; quod senes ob imbecillitatem non possint multum unâ vice assumere, expedit, ut sàpius comedant, sed modicâ quantitate, sic enim fiet, ut non graventur cibo & facilius concoquant. Ita & Aristotales, & Galenæ

lenus binas refectiones sæpius approbârunt; Apollonius in *mirabilibus historiis* scribit eos, qui in die semel tantum cibis vescuntur, amarulentioribus esse moribus, quam eos, qui bis; quoniam aucta in iis bilis utraquè animum perturbat, eosquè iracundos, & melancholicos facit. Celsus ait, qui semel tantum in die cibos capiunt, aluum adstringi: verùm autem obesos duplē pastum difficilius tolerare, quam biliosos.

Hinc ratione Temperamenti non minor etiam est diversitas, cum ii, qui temperie sunt calidiore, inediam tollere non possint, sed facile ex eâ in animi deliquium incidunt; hinc tales etiam sæpius alendi sunt; frigidiores verò jam famem diutius sustinent, uti & humidi, quod videre est apud Hypoc. 7. aph. 59. declaratis his versibus.

*Humidiore quibus sunt corpora præ-  
aita carne,*

*Convenit esuries, si quidem siccantur ab  
illâ.*

Pro-

Proinde & graciles, & qui perspiratio-  
ni, & dissolutioni corpus aptum, nec  
non poros amplos habent, saepius ci-  
bandi sunt; è contrà pingues, & poros  
angustos habentes rarius.

Et quid per exercitium frequens, &  
diuturnos labores non consumitur;  
undè ii, qui laboribus frequentioribus,  
& majoribus exercentur, jentaculum,  
prandium, merendam, cænam sine  
noxâ capere possunt, quod nisi faciant,  
vires laboribus tolerandis non diu suf-  
ficient; qui enim levioribus occupati  
negotiis, hos bis in die tantum cibum  
assumere determinatur.

Præ cæteris condonandum est ali-  
quid consuetudini, quia consuetudo  
magni momenti est; uti ait Hyppoc. 2.  
de rat. vicit. in acut. text. 22. tum iis,  
qui bis de die comedunt, tum iis, qui se-  
mel, noxas, & infirmitates pariunt re-  
pentina mutationes: eosquè qui prande-  
re non consueverunt, & prandent, statim  
infirmos reddunt, ac toto corpore graves

• *Imbecilles, ac desides.* Quod si super  
canaverint, acidum ructant, alios alii  
levitas exercet: nempe ventriculus pra-  
ter consuetudinem gravatur, superficie-  
scere consuetus, non bis tumescere, neque  
bis concoquere, Ita etiam, qui bis de die  
cibum capere consueverunt, ii, nisi pransi  
fuerint, imbecilles fiunt, & infirmi, ac  
cardialgiam patiuntur. His enim vis-  
cera pendere videntur, calidum min-  
gunt, stercusque exuritur: sunt quibus os  
amarescit, oculi cavantur, & tempora sa-  
liunt, partesque extrema frigescunt. Plu-  
rimi quoque, qui pransi non sunt, canare  
nequeunt; qui si canaverint, gravitate  
ventris afficiuntur, atque difficilius cibum  
coquunt, quam si pransi fuissent. Quæ  
verò consuetudini tribuenda sint, ea  
alibi sigillatim demonstrare licebit.

Verū sicuti diuturnæ consuetudi-  
ni, similiter etiam corporis dispositio-  
ni magna vis attribuitur. Nam cuius  
ventriculus pituita frigidâ, & lentâ  
abundet, magis expediens videtur,  
ut

ut is semel tantum comedat : quis pra  
multum temporis requiritur , ut illa gea  
concoquatur , vel extenuetur . Si ta- pe  
men comedio in vesperum differatur , ei  
proderit meridie modicum quid sume- ter  
re , præsertim , quod juuet ad nimiam pl  
ventriculi humiditatem exsiccandam te  
vel si meridie prandeatur , tale quid su  
expediet sumere vesperi v. g. passulas  
cum pane & similia , maximè enim ijs , fu  
qui ita affecti , curandum , ut humidi- id  
tas ista stomachi , quantum fieri potest , v  
corrigatur . Quia indè stomachus fla- tibus , & caput nebulis , lentoquè phle- t  
gmate oppletur . Sapientia tantum in  
sicco residet , non in paludibus , & lacu- s  
nis . Unde Horatius *Lux secca , anima  
sapientissima* .

At nunc quomodo ægri cibandi  
sunt , discutiendum erit : quod qui-  
dèm Hyppoc. I. aph. 19. in morbo pe-  
racuto extremos labores , id est gravissima  
habentes symptomata , & periculi plena  
tenuissimo extremè victu utendum esse  
præce-

præceperit; nè materia morbifica au-  
geatur, nequè natura ab officio suo  
per victimum datum avocetur, quæ in  
eiusmodi morbo circa pepasmon ma-  
teriæ morbificæ est occupata: si au-  
tem adeò morbus peracutus non sit,  
plenior victimus præbendus est, ac tan-  
tum de extremâ victimus ratione remit-  
tendum, quantum extremis morbis  
fuerit remissior, talis enim diutius af-  
fligit, & vigor illius longius abest,  
ideoquè vires etiam eò magis conser-  
vandæ. Undè non parva est in ægro-  
tantibus circumstantiarum ratio, an  
sæpè, vel raro, an multum, vel pa-  
rùm ijs concedendum sit; quamvis ex  
ægroto conjecturare liceat, an is cum  
eiusmodi tenui victimu obdurare possit,  
donec cedat morbus, & obtundatur,  
viribus enim prostratis tenuissimus vi-  
ctus minimè consulendus, nisi quibus  
per certos circuitus, sive periodos pa-  
roxysmi ire, redire soleant, illis non  
esse offerendum cibum docuit Hyp-  
poc.

poc. citat. loc. indè tamen non parùm  
 Medico considerandum est , si vires  
 debiles , tanquam verùm victus indi-  
 cans refectionem quidèm postulent ;  
 è contrà verò vitiosi in corpore hu-  
 mores prohibeant monente Hyppoc.  
*nam corpora vitiosa quo plus nutries,*  
*eò magis lèdis.* Ita & docente eodem  
 7. aph. 65. si quis febricitanti cibum  
 præbeat , valenti quidèm robur , agrotan-  
 ti verò morbus est. An in tali calu ægris  
 cibus mediocris , tenuis , vel temuissi-  
 mus , aut planè nullus dandus sit.

Hoc autem perbellè agnovit Excel-  
 lentissimus Dominus Doctor Marcus  
 Gerbezius Collega , & Syncerus amicus  
 meus in intricato suo extricato medi-  
 co , seu tractatu de morbis complica-  
 tis part. I. cap. XVII. de artificiose ele-  
 ctione in victu instituenda. Eum occur-  
 rente cibandi necessitate debere ciba-  
 tionis indicans commensurare cum  
 ejusdem cibationis contraindicante ,  
 atquè videre , an contraindicans illud  
 adeo

adeò cibationis indicanti prævaleat,  
ut eam citra majus ægri detrimentum  
proflus non admittat, qualiter eam  
non admittunt ex allata Hyppocratis  
sententiâ vitiosi in corpore hñmores,  
priusquam per apta remedia sint è  
corpore educiti? in tali casu se nempè  
urgentiori semper esse accommodan-  
dum, maximè febris tempore paro-  
xyssi cibationem Prorsus esse omit-  
tendam asserit Hyppoc. I. aph. 11. In  
eligendo vero talem victus ratione es-  
se debere monet prædictus Exc. D. D.  
Gerbezius, quæ præ cæteris à contra-  
indicante recipi, & tolerari videtur.  
Toleratur autem à morbis longis me-  
diocris, aut etiam plena, quæ quidem  
sanis tantum competit; ab acutis te-  
nuis, à peracutis tenuissima. Hinc  
tamen Hecticum statim tenuissimo vi-  
ctu excruciare minimè oportet, quod  
quidem à quibusdam medicastris ob-  
servare visum fuit, talem enim, in quo  
temperamentum substantificum de-  
perdi-

perditum est , paulò liberalius alienum esse informat Paulus de Sorbait *in di-*  
*Meth. Med. cap. X. & ult. Quæst. 102.* *on*  
quia in tali non tantum adest alterandi, sed etiam temperamentum sub-  
stantificum deperditum reponendi in-  
dicatio. Nequè in febribus ardenti-  
bus planè ab omni potu abstinentum  
esse affirmat prædictus Author *cit loc.*  
ita ut ægri præ siti , & æstu summa-  
pati cogantur, undè ordinariè scrupu-  
losissimi illi Medici ( qui minima quæ-  
què in considerationem trahunt, ut ac-  
curatissimi videantur, unum gran. rad.  
Cichor. ac Scorzon. examinant, atquè  
ponderant, nec non mentham, & ane-  
thum decimant : uti ait Avenzoar *in*  
*thes. tract. 10. cap. 8.* graviora verò le-  
gis derelinquunt , maximèquè necel-  
laria sicco pede prætereunt ) febrici-  
tantes ita siti torqueri , ut morerentur  
ante mortem , permittunt: quapro-  
ptè Medicos aliquando multò libera-  
liores esse oportet, *febris enim cura-*  
*tur*

in veneficione, & aquæ frigidae potu.  
dicit Hyppoc. Quemadmodum ista  
omnia luculenter expressa sunt apud  
Hyppoc. I. aph. 4. & sequent. ita &  
apud Gal. de vici. rat. in acutis, de qui-  
bus omnino consulendi sunt practici.

Ex quibus concludendum, si quis  
semel bis, aut ter in die alimenta assu-  
mere consueverit, & cum his benè ha-  
beat, in eo perseverare debet, donec  
aliquid contingat, quod eum id im-  
mutare cogat. Frequentiores enim  
epulæ cruditatis metum afferunt, je-  
junia vero longiora corpus debilitant,  
& pravos humores ad ventriculum de-  
ducunt, undē multi affectus exoriri  
possunt. Ninc satius est in singulis pa-  
stibus quantitatem ciborum minuere,  
quam post lautas epulas longum  
jejunium exercere.



DISSE

# DISSERTATIO IX.

*An determinatum Tempus in cib  
capiendo observare sanitati  
conducat?*

**V**erum cum aliarum rerum quoque, quae ad diætam pertinent habenda sit ratio, ita etiam vindendum, quibus diei horis cibus sumendus sit. Cum, quod maxima pars hominum prandio & cæna contenta sit, ex priori *dissert.* pateat. Hinc non immerito etiam determinari solet hora, sive cibandi Tempus. Præterea tamen sciendum est, quod inter cænam, & prandium tempus longius esse debeat, quam quod inter prandium, & cænam intercedit, hoc etiam communis omnium consensus obtinuit: Cum enim somnus homini ad vires recolligendas, & spiritus diurnis laboribus dissipatos, atque absumptos instaurandos concessus sit, atque eo tempore

pore facultate animali quiescente, vitalis, & naturalis vigeant, & ad absolvendam concoctionem, cruditatesque omnes ablumendas plurimum possint; unde illud commune; *somno enim aliquid dandum est.*

Hora itaque prandii tempestiva duabus horis ante meridiem ex plurimorum authorum opinionibus ob has rationes saluberrima dicitur. Primo ut prandium longius tempus habeat usque ad cænam, quo coctio melius perfici valeat: Secundo, cum homo etiam illo tempore frigidior sit, (quod in aestate fit) illa vero frigiditas coctionem juvat: Tertio, cum homo adhuc tunc sit robustior, quia vicinior somno precedenti, ex quo multi spiritus geniti sunt, qui totum corpus robustius, & alacrius reddunt. Hinc passim vide-  
mus eos, qui diutissime vixerunt, tem-  
pestivè cibum sumpsisse: contra vero  
eos, qui tardius pransi sunt, morbosos  
fuisse, & brevioris vitae.

Cæna proindè sit septem horis possum  
sumptum prandium, cùm ex communac  
ni authorum sententiâ concoctio sit in  
ventriculo intra septem horas pera  
gatur, de quâ in seq. diss. Adventante  
verò horâ cænæ aut prandii necesse est no  
ut appetitus vigeat, & cibus in priore  
pastu ingestus optimè concoctus fue ad  
rit, alioquin satius est horam illam dif-  
ferre, aut pastum omnino intermitte. Hy  
re, aut paucissimam alimentorum co-  
piam assumere; illud enim, cibandi  
tempus præcipue, à consuetudine de-  
sumendum est, cui natura tantoperè in  
inhæret, ut adventante horâ prandii  
in benè sanis ventriculus plurimum  
appetat, & novum famelicus cupiat in  
alimentum, quâ horâ etiam præter-  
nagressa languet plurimum appetentia,  
& fames dejicitur; ventriculus enim  
à vicinis partibus attrahit humores,  
qui sensum appetitûs obtundunt; hinc tū  
appetitus desinit, ac fames depellitur:  
quin & mala inde multa evenire pos-  
sunt:

possunt : ut hæmœcta, marasmus, Cardiagmos,  
 mu. Cachexia &c. Unde tantum tempus  
 inter priorem, & novum cibum debet  
 era intercedere , ut prior cibus planè co-  
 ntequi , & in corpus distribui possit , nec  
 est non fames optimum ciborum condi-  
 onimentum adsit. Dum enim fames non  
 advenit ; indicio est , cibum adhuc in  
 ventriculo contineri , qui docente  
 te. Hyppocrate inedia , aut victu parcio-  
 re, somno, quiete, nec non vomitu cor-  
 di tigendus est. Ex quo Cellus monet  
 e. lib. 1. cap. 2. Qui bene concoxit , man-  
 tè autò surget : Qui minus quiescere debet ,  
 nequè se labori , aut exercitationi credere.  
 Undè etiam utile est iis, qui plusculum  
 interdum ingerunt , semel in septima-  
 nà cænam omittere , aut planè parcissi-  
 mè cænare , & teste Hyppoc. cænæ  
 unius parentia uni æquipollet clysteri.  
 Ita enim cruditates collectæ absumun-  
 tur, & plurimorum morborum occasio  
 præciditur. Sicut & illud commodum  
 est, si quis cruditates præter solitum

sentiat, ut iterum parùm cibi boni alsumat; natura enim novi alimenti, & quidem boni, atquè utilis adventu quasi ad coctionem invitatur, ut illud, quod vincere non potuit, iterum aggrediatur, & felicitè perficiat: melius autem in cibatione exspectandum est, si donec cibus ingestus benè concoctus n sit, concoctus autem cognoscitur, dum nullus in ore amaror, nulli flatus, nulla ventriculi compressio, nequè ventriculus est distentus, ructus nullos edit, nec ulla nausea adeat, postquam enim natura appetit, & sentitur suetio illa in ventriculo à vasis exinanitis, temporis quoquè spatum elapsum est, quo communiter ciborum concoctio absoluta esse consuevit, ad hoc propositum etiam solernitani in scholâ sua de Conservat. sanit. cap. 11. sequentes tradidere versus:

*Tu nunquam comedas, stomachum nisi  
noveris esse*

*Purgatum, vacuumque cibo, quem  
sumperis ante*

*Ex*

al. Ex desiderio id poteris agnoscere vero.  
 & Si autem ingestis crudis nova superin-  
 tu gerantur alimenta , insignis cruditas  
 d, conciliatur : Exemplum habetur in le-  
 g. bete bulliente , cui si vel minimum  
 us aquæ superfundatur , statim bullire de-  
 st, sinit , & caro per iteratas aquæ affusio-  
 nes dura permanet , nec unquam per-  
 fectè concoquitur : eodem pacto ven-  
 triculi concoctio desinit .

Concluditur hæc dissertatio cum  
 Lazaro Riverio , monente *in institut.*  
*med Lib. 4. cap. 6. de tempore cibi su-*  
*mendo* , ut cibus nunquam assumatur  
 priusquam prior , anteà ingestus , sit  
 omnino concoctus , & ad intestina de-  
 tritus , si verò contingat , ut cibus prio-  
 ri non dum concocto assumatur , per-  
 suasum est lequentem pastum omni-  
 ñò intermittere , aut saltem unico hau-  
 stu vini diluti , & tantillo cibi absolve-  
 re . Hoc autem iis contingit , qui ca-  
 su aliquo extraordinario ut in convi-  
 vio lautiori sese præter modum epulis

ingurgitant. Si verò in vietu ordinario contingenteret, ut horā pastūs ordinariā appetentia non vigeret, & alia nondum concocti prioris cibi signa apparerent, indicio esset, nimia alimenti copiae assumptae, undē consultum est, eam esse minuendam.

## DISSERTATIO X.

*An certo temporis spatio in ventriculo peragatur concoctio?*

**I**N prælenti dissert. quæritur: intra quod temporis spatium concoctio in ventriculo perficiatur? Respondeatur communem esse plurimorum sententiam, concoctionem in ventriculo perfici intra horas septem. Hinc tamen adhibenda est distinctio & ciborum, & ventriculi, In cibo consideratur potissimum quantitas, varietas, qualitas, nec non cibi præparatio: in ventriculo verò robur, & temperamentum. Major ciborum copia longius sanè temporis spatium ad sui confecti-

fectionem requirit, quoniam concoquenti stomacho magis resistit, & plus negotii illi faceſſit: idem facit & ciborum varietas, & in qualitatibus diversitas, quoniam æquali temporis ſpatio concoqui non poterit: Qualitas insuper ciborum etiam cauſa eſt celerioris, & tardioris concoctionis; Etenim cibi duri, crassi, ſale conditi, infumati, lenți, viſcidi, crudi concoquuntur tardius; celerius, qui hiſce ſunt contrarii, molles nempè, humidi, elixi, liquidi &c. Ita & ciborum præparatio ad concoctionem, & meliorem digeſtionem non parum efficit: Unde Claſſiſimus Soibaitius *Isagog. medic. part. 4. cap. 2. de qualit. aliment. &c. sumendi temp. sequent:* deſcribit ciborum præparationem: ſcilicet ut concoctioni naruræ, ſeu facultati, notabili admittendo apitulemur, cibos enim vel à naturâ, vel arte benè coctos, & ad ulteriorem digeſtionem præparatos eſſe oportet: à naturâ cocti tunt fructus

maturi; carnes verò, & reliqua alimenta beneficio elixationis, afflationis, frictionis, seu tostionis præparantur, nec parùm interest, quoniam mortis genere pereant animalia: nam si à suis inimicis occiduntur, carnes ita teneræ evadunt, ut ferè in jus resolvantur; ut potè oviculæ, à lupo occilæ, tenerimæ sunt. Causam refert Plutarchus: in spiritum lupi tenerimum, qui suâ penetrabilitate carnes attenuet: Sed vix credibile est cum fiat in carne leporis, coturnicis, phasiani, hinnuli &c. ab inimicis, cane, falcone, accipitre, occisis, qui tamen ideo penetrantem halitum non habent: Sed potior ratio esse videtur, quod in timore summo carnes à sanguine purificantur, dum nempè concentratur: undè talium animalium corda sunt durissima, carnes tenerimæ. Hinc si volatilia tenera desideremus vulturibus, & accipitribus objiciamus; si boves canibus vexandos obtrudamus, gallinas ex turribus detur.

deturbemus; gallos baculis excipiamus: vel etiam deplumatos vino immergamus: sicque citius tenerescunt: gallinæ indicæ è naribus vivæ suppendantur. Nec parùm facit ad primam hanc teneritudinem conciliandam, si, postquam mactata sunt animalia, sub dio aliquamdiu serventur; nam perdices recentèr mactatæ non sunt edendæ, sed post unum, aut alterum diem: suam enim illam duritiem intereamittunt: idem intelligas, si lunæ radiis exponas, quæ aliquo modo primam incipit putrefactionem: hinc ligna, sub lunæ radiis secta, carie confiuntur: & hæc ad primam præparationem.

Nunc ad secundam, quæ fit per elixationem; quæ duplex est: vel in aquâ; vellente, in proprio succo, quæ jurulenta sunt aliis meliora: ut est vulgare illud consumatum: elixa carnes non tantum præbent corpori alimento, quantum jurulentæ; quia mag-

nam substantiæ suæ partem in juscule reliquerunt : plus tamen alunt , quam assatæ . Notandum ; in assationibus non esse cultro multùm perforandas carnes , quia sic humidum illud alimentare ex toto ferè deperdunt ; non obstante Avicenna , qui dicit carnes , inter bullitionem cibduratas , malignitatem venenatam induere : lebetes semper inter bullendum tegi debere ; nec toties , post evaporationem , aquam recentem esse reaffundendam interdictur : Sic enim sal volatile , optima nempè substantia evaporat : Undè illi lapidissima habent juscula , qui carnes tectis coquunt ollis , nec carnes , velut aliqui ante concoctionem , quod ad substantiæ deperditionem plurimùm facit , per aliquot horas in aquâ infundunt , nec saepius frigidam , inter coquendum reaffundunt , ne carnes indurescant ; quod hic plerumquè continet : vetricinarum tamen carnium contusio non rejicitur , quâ teneriores multò

multò redduntur ; & has ciborum præparationes ad promovendam ulteriorem concoctionem maximum operari docente Paulo Sorbaitio cit. loc. in præsenti concludimus , reliquum verò edukiorum luxum coquis relinquimus.

Ventriculus calidus, & validus celeiorem concoctionem etiam adjuvat, cùm breviore temporis spatio egeat ad chylum producendum ; è contra longiore, qui frigidus , debilis & infirmus. *De quo quidem in super. dissert.* dictum fuit , qui calore fortiori iis cibi difficilioris digestionis , qui verò debiliori, facilioris offerendi erunt ; Hinc illud commune calor concoctionis è author. Quòd & commotio corporis ad promovendam concoctionem etiam faciat, præsenti inquisitione quædam addere placet. Primò quod motus corporis cibum præcedere debeat, docuit Hyppoc. lib. 6. epid. Sect. 4. Secundò quod idem cibum debeat sequi,

asserunt solernitani : Cibos autem ,  
hoc est, pastus ordinarios, & consuetos,  
prandium scilicet & cænam. Ob hanc  
autem rationem motus cibum præce-  
dere debet , quoniam calorem excitat  
per mutuam attritionem partium , ac  
appetitum provocat ad comeden-  
dum. Qnod autem assumptos cibos  
motus corporis lequi debeat, (ast leni-  
tèr deambulando ) ut iidem probè  
misceantur , & in ventriculi fundum  
descendant , in quo celebrari solet per-  
fector nec non celerior concoctio.  
**C**alorein enim nativum aliquantulum  
excitat , ut facilius coctioni incumbe-  
re valeat. Unde ille versiculus :

*Post canam stabis , aut passus mille  
meabis,*

Vehemens autem & nimia cor-  
poris exercitatio post cibum assu-  
ptum minimè confert , nec non  
concoctionem impedit: quoniam ca-  
lor, qui ob peragendam concoctionem  
intus manere debet, avocatur. Ita &  
per

per illum motum stomacho jam onusto , & repleto vis infertur : quod non inviti fatebuntur postarum cursores , qui , nisi parcè cibentur , summos in violento isto equitatu persentiunt labores : Deinde velocius cibi , quam par est , è primâ corporis regione ad secundam rapiuntur ; undè cruditates generantur , nam vitium primæ concoctionis non corrigitur in secundâ : undè nonnulli Medici primam semper , & maximam ventriculi curam habent ; quamvis aliquando frustrà ventriculi dolor , qui per sympathiam oritur , *uti in hypochondriacis* , curetur : attamen Galen. 10. ad Glauc. in curâ tertianæ nothæ , & quotidianæ consulit , ventriculo laboranti præsidia tûm externa , tûm interna admovere : nequè negatur , ventriculo sapè providendum esse ; attamen semper mali radix examinanda , eiquè securis apponenda , & *hac per parenthesim*. Hepar etiam , & alia viscera vehementer invalescunt ; hinc cibos

cibos indigestos attrahunt; ita etiam impossibile est, quin in tam violento motu spiritus à coctione non distrahanter ad membra externa: adeoquè ad promovendam concoctionis celeritatem moderatum tantum motum bonum esse affirmamus, violentus enim à cibo motus omnibus noxius est.

## DISSERTATIO XI.

*An coctio melius noctu, quam interdiu, in somno, quam vigiliis perficiatur?*

**H**æc dissertatio jure cibi vindicat hunc locum, cùm de eâ litterarum amantes ferventè disputent; quidam enim cibos vigiliarum melius concoqui, nonnulli verò somni tempore approbant; utrinquè enim authoritates, & rationes efficaciter militant. At primò eorum, qui vigiliarum tempores meliorem ciborum concoctionem fieri afferunt, argumentatio-

tationes demonstrare oportet, vigiliarum fundatum istius assertionis esse calorem nativum, qui extra omnem dubitationis aleam est concoctionis author: quo autem tempore is est uberior, illo etiam magis operatur, sed tempore somni est uberior, quam vigiliorum, ergo somni tempore magis operatur, quam vigiliorum. Minor probatur authorit. Hyppoc. lib. 7. epid.

Sect. 4. Vigilantem calidiorem esse partibus externis, frigidorem internis, dormientem verò contrario modo se habere. Ita & in lib. eodem epid. sect. 5. habetur, quod sanguis per somnum ad interiora magis abeat: & si sanguinem per somnum ad interiora magis abire conceditur, utique unà cum sanguine calor nativus, qui sanguini inhaeret, eoquè fovetur ac sustentatur ad interiora recedit. Cui sententiæ subscribit Aëtius qui lib. 3. de Hist. cap. 19. docet sanguinis copiam dormientibus externas corporis partes delere,

re, & interiores subire. Hinc ergo sequitur, cum somni tempore efficiens concoctionis calor nativus intus sit copiosior, etiam illius effectum concoctionem, fieri meliorem. Ad hanc propositionem accedit quoquè Gal. authoritas, qui *lib. 12. method. med. c. 3.* somnum asseverat concoquere, vigilias autem discutere. & *lib. de vici. rat.* ait, vigilias quidem saturos lædere, somnum vero illos, qui comedunt, calefacere, humectare, & alimentum per corpus diffundere. Idem *lib. cit. tit. 19.* scribit vigiliam vehementem cruditatem tum ciborum, tum potus efficere. At ratio confirmat has authoritates: quoniam calor intus est major somni tempore, quam foris, & respiratio in somno est major, non aliam ob causam, quam quod in internis corporis partibus major sit calor, pulsus etiam major, & velocior eandem ob causam dormientes etiam pluribus velamentis sunt tecti, quæ & ipsa calorem fervent,

vent, audioremque reddunt. Demonstratur secundò in quiete corpus non movetur, nec agitatur, ita ut cibus in ventriculo aptè resideat, non fluctuet, non dimoveatur, sicquè melius concoquitur, quia concoctio indiget quiete. In somno etiam, cum animales spiritus magnâ ex parte ferrentur; vitales, & naturales fortiores, ac vegetiores evadunt, undè somni tempore meliores fiunt concoctiones. Noctis frigiditas etiam cibi concoctionem juvat, calorem pellendo ad interiora, ut melius coctionem perficiat. Ergo concoctionem fieri somni tempore meliorem quam vigiliarum maximè existimatur.

Nunc transeamus ad eos, qui contrariam probant sententiam nempe: Si per somnum melior fieret concoctio, statim à pastu effet dormiendum, quia tunc cibus solidior majori ventriculi actione indiget, & primarum horarum actio difficilior est, quæ tamen vigi-  
lando

lando transigitur, alioquin, stomachus  
gravatur: Unde etiam si per somnum  
melius coctio perficeretur, circa me-  
diam noctem illa absoluta esse deberet,  
& statim fames urgere, sed contrarium  
experimur, manè è lecto surgentes mi-  
nus fame tentari, quam ante cænam  
undè facilè videre est, coctionem tar-  
dius perfici in somno, quam in vigilia.  
Propterea ab Hyppoc. 6. *epid. sect. 4.*  
*aph. 20. aqua vorax*, *vigilia vorax* dici-  
tur. Videmus, quod, qui noctu præ-  
ter solitum vigilant, citius famem per-  
cipiant. Hinc Cellus præcipit in lon-  
gis diebus satius esse ante cibum, dor-  
mire & non ob aliam rationem, quam  
quod somnus coctionem retardet.  
Item pituita, quæ interdiu per nares,  
& sputum rejicitur, noctu in ventricu-  
lum defluit, & coctionem retardat,  
quo incommodo carent vigilantes:  
Hinc somnus à prandio facit in non  
affuetis, ut horâ cænandi appetitus  
non vigeat, & ventriculus cibis grava-  
tus

tus sentiatur, quod ostendit coctionem imperfectius fieri in somno, quam in vigiliâ, si enim somnus coctionem adjuvaret, esset utilior omnibus. Situs etiam ventriculi in vigilantibus magis facit ad concoctionem, quia erecta figura facit, ut cibi melius descendant ad fundum ventriculi, qui carnosior est; cubantibus verò ventriculi latera magis attinguntur, undè os illius non sufficienter clauditur proinde fit, ut somnus meridianus minus noceat, si sedendo capiatur, quam cubando. Ita & per diem, sicuti rerum omnium ciborum digestio à sole adjuvatur, sol enim ex Arist. 2. phys. 2. est vitæ principium, undè concoctio diurna duplex habet calidum, nocturna verò calore solis caret.

Nobis igitur eorum rationes, qui concoctionem meliorem vigiliarum tempore fieri arbitrantur, probabiliter reddunt sententiam; ut autem adhuc clarus elucescat sequentibus ratio-

rationibus confirmabimus. Primo, quod in somno calorem concentrari, & ad fontes suos recurrere dicantur, concedimus: nempe cor & Hepar: proinde tantum meliores fiunt concoctiones in venis, & arterijs, non autem in ventriculo; ergo nihil utilius in somno. Nequè obstat vitales spiritus fieri fortiores in somno, Hinc tamen non influunt in ventriculum, & alias partes eâ copiâ, quâ in vigiliâ, quia per somnum retrahuntur ad suum fontem: in vigiliâ verò magis diffunduntur. Nequè omnimodam quietem ad coctionem juvandam esse utilissimam approbamus: siquidem motus levis & moderatus post pastū facit, ut cibi in fundum ventriculi descendant, & calorem nativum excitat, ut facilius coctioni incumbere possit ut in præcedenti dissertat: quid motus levis ad promovendam concoctionem faciat, abundè dictum est. Ergo hujus sententiae rationibus, nec non quotidie-

tidianâ experientia convicti , concoctionem meliorem fieri vigiliarum tempore , admittimus . Ne tamen illud , quod aliquâ distinctione opus habere videtur nimis generalitè , & universim concludere videamur , quædam de debiliore , & fortiore calore ventriculi monendam sunt : qui enim debilis habent , ventriculum , nec non ijs , qui fluxionibus , & catharrhis obnoxij sunt ( noctu siquidem humor pituitosus è cerebro defluit in ventriculum , & concoctionem perturbat ) ijs melius fit concoctio vigiliarum tempore ; qui verò perfectâ fruuntur valetudine , & ventriculum habent validum ; ijs tam benè noctu , quam interdiu optimam fieri concoctionem in præced: dissert. ostensum est .



## DISSERTATIO XII.

*An prandium, vel cæna largior esse  
debeat.*

**N**on est Levis in arte Medicâ di-  
sputandi occasio, cum quæstioni  
proponitur prandium ne, vel cæ-  
na largior esse debeat? Plurimi do-  
cent prandium debere esse largius cæ-  
nâ, alij statuunt contrarium, non  
nulli distinctiones quasdam adhi-  
bent. Nos in præsenti utrorumquæ  
rationes & authoritates exponemus.  
Et primò quidèm cænam largiorem ef-  
fe debere probatur ex Hyppoc. 3. *de  
diata*, ubi Hyeme semel tantum cibum  
sumere præcipit, per quem cibum cæ-  
nam esse volverit; Hinc cellus eun-  
dem secutus, *Hyeme*, inquit, oportet  
*semel in die cibum capere, nisi quis  
ventrem valdè siccum habeat.* Deindè  
Hyppoc. I. *aph. 15.* quod hyeme, ac  
vere plus cibi dandum sit, hanc cau-  
sam addit, quod somni tunc sint lon-  
gissi-

gissimi. Hinc etiam Gallen. 7. Meth.  
cap. 6. cænam prandio debere esse libe-  
raliorem ob sequentes rationes con-  
stanter affirmat primò cibum vesper-  
tinum sequitur quies, & somnus, in  
quiete autem melius residet, & appro-  
ximatur cibus ventriculo, nec ita flu-  
ctuat; undè melior concoctio; diu-  
turnius, ac ferè duplum etiam tempus  
inter cænam, & prandium intercedit,  
ergò duplum etiam debet esse alimen-  
tum. Athletarum exemplum Huc  
apposuit Gal. qui in cænâ plurimum  
comedebant; in prandio verò parum.

Qui è contrà prandium uberius ha-  
bere volunt, placitum suum sequen-  
tibus tuentur argumentis. Primò A-  
etuarius, Avicenna, & alij præcipiunt:  
universum totius diei cibum in tres  
partes esse dirimendum, duas in pran-  
dio, unam in cænâ esse capiendam.  
Hinc solernitani in principio scholæ  
*Iux de tuend. sanit. consulunt Regi*  
*Angliæ, ad quem suum scriplerè opu-*

sculum, ut mero parceret, parùmque  
cænaret, in quo cap. 13. sequentes eti-  
am composuerè versiculos:

*Ex magna cœnâ stomacho fit maxima  
pena:*

*Ut sis nocte levis, sit tibi cena brevis.*

Largior enim cœna nocturnam quie-  
tem, & somnum impedit, ventricu-  
lum onerat, eructationes excitat, ca-  
put ob ascendentis vapores offendit,  
doloresquè parit, facit, ut, cum som-  
nus, & quies nocturna fuerit impedita,  
sequenti die corpus langueat, nequè si  
suo munere, atquè officio, uti decet,  
fungi possit, palleat facies, tremant  
artus; prælertim verò ægrotis, seni-  
bus, & qui nocturnis morbis ac destil-  
lationibus divexantur: nam si tales  
paucum in cœnâ cibum assumant, de-  
stillationes illæ phlegmaticæ à calore  
nativo consumuntur, nec tam facile  
multiplicantur, sicut in ijs, qui libe-  
ralius cœnare consueverunt: cum ex  
illâ ciborum copia multi vapores no-

ctu

tu caput petant. Unde à Manardo  
dictum illud doctissimum. Epist. 4.  
ib. 6. Exiguam cænam capiti, & oculis conserre. Cæna itaque larga somnum plurimis facit inquietum, & interruptum, ita ut aliqui in cænâ parcere comedere, aliqui planè à cæna abstinere cogantur, si quiete dormire volunt.

Quod autem aliqui, si vesperi largius non comedant, noctu dormire non possint? Iciendum est vel eos esse siccioris cerebri, vel tantum esse malaam consuetudinem. Si autem à cænâ abstineant, verùm primis diebus perturbatas habent noctes; attamen post aliquot dies quietissimè dormiunt, ac magis inculpatâ valetudine, quam unquam ante, potiti sunt: imò qui in declinatione ætatis penitus à cænâ abstinent, meliori valetudine frumentur, & plerumque suos prolongant annos. Non enim eundem vivendi senorem, qui in juventute servabatur,

in declinante ætate servandum consumimus, quia implicat, ut in senectute calor nativus, ubi jam plurimum est diminutus, easdem perficiat actiones, quas copiosior in juventute perfecit.

Profectò paucissimi homines reperiuntur, qui liberè non fateantur se à leviori cænâ longè melius habere, & suam producere vitam: Vivit etenim Labaci in suburbis vir defacto, qui tenui suo victu ætatem ad centesimum annum provexit, & novi plurimos qui diætâ, & parciori cænâ ad decrepitam pervenirent ætatem. Et Cardanus, se multis jam ad centessimum annum suam vitam productis quæsivisse, notum facit, omnibus parciorem cænam maximè inservivisse, plura vide apud Gal. lib. 5. *de sanit. tuend.*

Ast iterum reperiuntur alii, qui nunc largiori prandio, nunc uberiori Cænam se accommodare debere præcipiunt. Si itaque pauco quis utatur alimento,

& minimam illius quantitatem summat in prandio, eidem sine dubio lautiis cænare conceditur, ut tota ciborum quantitas, quæ unâ die sumitur, corporis nutritioni sufficiat. Si verò in prandio ad satietatem comedatur, sine dubio leviorem cænam esse debere affirmatur: nam si cibus in prandio paulò copiosior capiatur, ut brevi illo inter prandium, & cænam intervallo non planè coqui possit, atque in cænâ novus ingeratur cibus: cruditates cumulari, & sanitati male consuli, quivis facilè jam ex priori differt. percipit. Et tunc verificatur scholæ solernitatem versiculus:

*Ex magnâ cænâ stomacho fit maxima pana,*

*Ut sis nocte levis, sit tibi cæna brevis.*

Si verò quis saltem tantum cibi assumentum in prandio putet, quantum usquè ad cænæ tempus planè concoqui, & distribui possit, ita ut nihil, cænâ ingruente, cruditatis amplius supersit,

æqualiter cum prandio, aut etiam liberalius cœnare admittitur, modò tota utriusquè pastus quantitas mediocritatem non excedat. *Homo enim bene sanus nullis sese debet obligare legibus*; refert Celsus.

Si verò is, qui exiguum in prandio ciborum quantitatem assumplerit, penes etiam cœnam levem habeat, sine dubio in pericula, & incommoda maxima se præcipitat: nam cibus ille parcius assumpitus brevi temporis spatio concoquitur, & in corporis substantiam mutatur; quo tempore elapsò, cùm non parùm adhuc spatii ad prandium usquè supersit, ne calor otiosus sit, in totius corporis humores agit, & membrorum solidorum nutrimentum absimit, corpusquè exsiccabit, atquè attenuabit.

Nos igitur non immerito postremam hujus dissert. decisionem probabiliorem esse existimamus. *Homo enim bene sanus nullis sese debet obligare legibus.*

gibis. Hunc oportet varium habere  
 vitæ genus: modo ruri esse, modò in  
 urbe, sæpiusquè in agro: navigare, ve-  
 nari, quiescere interdum, sed sæpius se  
 commovere: Siquidem ignavia cor-  
 pus hebetat, labor firmat: illa matu-  
 ram senectutem, hic longam adoles-  
 centiam reddit: prodest interdum in  
 convivio esse, interdum se ab eo ab-  
 strahere: nequè ullum cibi genus fu-  
 gere, quo populus utatur: modò plus  
 justò, modò non amplius assuñere, bis  
 de die potius, quam semel cibum ca-  
 pere, modò plus justo prandere, modò  
 minus cænare; modò minus prande-  
 re, modò plus cænare, dummodò de-  
 nimio, vel prandii vel cænæ luxu, sed  
 de moderatione intelligatur, quia om-  
 ne nimium naturæ inimicum etiam si-  
 vè id prandii, sivè cænæ tempore  
 committatur. Itaquè distinguendum  
 inter id, quod mediocritatem valdè  
 excedit, & quod altero est largius; non  
 ita tamen, ut naturam nimis gravare,

& noxam illi haud facile corrigibilem inferre queat.

### DISSERTATIO XIII.

*An cuivis ætati, & anni temporis eadem victus ratio conveniat?*

**C**ùm inter ætatem, & anni tempora maxima sit temperamentorum differentia, ita etiam in iis debet esse victus diversitas. Nam pueri per Excellentiam sunt calidi & humidi: Juvenes *calidi & siccii*: Senes frigidi, & *sicci*. Anni tempora ex se, & naturâ suâ etiam diversa habent temperamenta: quia vernum tempus est *calidum*, & *humidum*: aestivum *calidum*, & *siccum*: Autumnale *frigidum*, & *siccum*: Hymale *frigidum*, & *humidum*. De eorum qualitatibus videre est in *dissert. IO.* de aëre.

Omnium itaque ætatum prima est puerilis, quæ *calida*, & *humida*; qua propter victus eorum *frigidus* & *humidus* esse debet: *frigidus*, quia eorum corpor-

corpora multo calore prædita: Humidus, quia hujus ætatis corpora crescunt, & augentur, corundem substantia etiam est valde resolubilis, & ideo humidis alimentis, quæ citò distribuuntur reparanda: Hac ratione etiam Hyppoc. I. aph. 16. victum refrigerantem, & humectantem pueris maxime convenire præcepit.

Hinc laeduntur à vini potu, cùm eorum corpora adhuc magis exæstuet. Unde est Platonis sententia 2. de legibus. ut puer ante vigessimum secundum, vel ad minimum decimum octavum usquè annum vini usum proiussignoret: Docet enim, non oportere ignem in corpus, atquè animum suggerere, antequam viri effecti laborem suabile incipient. Furiosum namquè habitum juventutis cavere oportet. Ob hanc rationem & Galen. I. de sanit. tuend. c. 9. pueris vinum bibere prohibet: quia textura eorum tenera, & mollis facili consumitur negotio, &

incrementum ab inductâ siccitate prohibetur: Unde etiam ob caloris ubertatem, & corporis incrementum major eis ciborum quantitas, quam reliquis ætatibus ex Hyppoc. I. sect. 4. conceditur nam

*Qui crescit, plus ille calet, plus postulat  
ergo*

*Nutrimenti, alias corpus consumuntur illi:*

Quâ ratione etiam saepius cibandi sunt.  
*Vide dissertat. 8. de cibo.*

Huic ætati proximè alias accedit pubertas, & adolescentia quæ mediocrem requirit viatum, tûm ratione qualitatis; nam puberes & adolescentes moderatam habent temperaturam, ideo etiam temperatis alimentis nutriendi sunt, quibus nempè moderata primarum qualitatum inest proportio. Quantitas etiam eorum moderata, major quidein, quam aliarum ætatum, minor autem, quam pueritiaz. Accedentes verò adolescentes ad juvenu-

ventutem, qui calidi, & sicci; Hinc vi-  
etu frigido, & humido indigent ob  
majorem caloris jam ab humido liberi  
activitatem: licet autem victus iste ju-  
venibus praescriptus puerorum victui  
ratione humiditatis conveniat; ratio-  
ne substantiae tamen aliis esse debet:  
Quippe alimenta pueris humida acu,  
& potentia talia prescribenda sunt, id  
est, liquida majori parte & sorbilia, &  
saltem mollia, aut concoctu facilia. Ju-  
venibus vero difficilioris digestionis  
cibi exhiberi possunt ut olera, fructus &  
similia, quae a ventriculis eorum robu-  
stioribus faciliter concoqui valent, ca-  
lor etiam iis est fortior, & digestioni  
aptior: advertendum tamen est, ut  
passum agenti sit proportionatum.  
Hinc vini fortioris potus iis maximè  
noxius, habitum enim eorum furiosum  
reddit, uti plato loquitur, nec non ma-  
jorem bilis copiam auget. Unde etiam  
Galen. eos vinum precipitare ad iram  
& libidinem, declarat. Quod autem

iis cibi difficilis digestionis, uti dictum est, exhiberi possint, monendum est: ut temper temperati, & naturæ nostræ maximè convenientes eligantur: nam pravi succi, quantum possibile, vitandi, docuit Galen. 2. de alimen. fac. cap. 6. illud, inquit, perpetuò memoriâ teneto, quod etiam si quis eorum quidvis, qua aliis concoctu sunt difficilia, coxerit, succus tamen, qui ex eo in corpus distribuitur, eandem retinet materiam. Nam fieri non potest, ut succus, qui ex pepone distribuitur, crassus, ac terreus fiat, etiamsi is coctus plane fuerit; quemadmodum, nec qui ex lente, aut bubulâ carne distribuitur, evadit unquam aquosus & humidus, aut quem consistentiâ tenuem appellant. Id autem plurimum habet momenti, non modò ad sanitatis custodiam, sed & ad morbi declinationem. Hinc propter allatum causam omnibus pravi succi abstinendum esse prohibetur, etiamsi ea quibusdam coctu sint facilia. Nobis enim

enim non advertentibus pravus succus ex ipsis post longum tempus in venis colligitur, qui posteà exiguum ad putredinem occasionem naclus febres malignas accedit.

Tandem senibus conveniens diætæ ratio eligenda, quibus autem calefacentia, & humectantia maximè conveniunt, quia senes frigidi & siccii. (Siccitas verò intelligenda est de siccitate humidi radicalis, & partium solidarum, non verò de adscititiâ; quæ aliquando est satis copiosa. Nam senes phlegmate abundant, licet partes solidæ ob ætatem siccissimæ reperiantur.) Hæc itaque ætas diligentem vi-  
tius rationem postulat, cum in senectute corpus in dies magis exsiccatur, & calor nativus absumi soleat: Hinc omnibus senibus danda est opera, ut siccitas præcaveatur, & calor, quantum fieri potest, conservetur: Quapropter tota senum diæta ad calidum & humidum declinare debet. Alimen-

tum itaque huic ætati sit calidum & humidum, boni succi, facilisque concoctionis, uti est panis bene fermentatus, & bene coctus, pinguis iunctula, caro pullorum, gallinarum, caponum, vitulina, ova, & similia, quæ facile in corporis nostri substantiam mutantur, corpori-que bonum, & copiolum alimentum præbent, neque in ventriculo facile corruptuntur. Ciborum autem quan-titas minor esse debet, quam aliis æta-tibus, quia calor eorum debilis est, & magnam alimentorum copiam con-coquere nequit. Ita demonstratur ex Hyppoc. l. aph. 14.

*At calor in senibus cum non nisi par-cior adsit:*

*Hoc modicè nutritre sat est; nam copia laedit:*

*Atque ideo quia languet ius præ frigore corpus.*

*Quemadmodum inquit Gal. in Coment.*  
sicut lucernarum flammæ, quarum  
oleum est alimentum, si quis id totum  
simul

simul superinfundat, extinguuntur potius, quam nutritur: eodem modo & in senibus calidum sui fomentum quidam habet alimenta; si vero multis, & confertis cumuletur, ac quodammodo stranguletur, periculum est, ne extinguatur; æqualiter ac si parvæ scintillæ ignis lignorum multitudinem superacerves.

Cum itaque juventur à calidis moderatè tamen sumptis: Hac ergo ratione mel illis porrigendum esse commendat Plinius *Lib. 22. Hist. nat. cap. 24.* quia calefacit, & ad absumendam in senibus pituitam congruum est. Proinde commendatur etiam vinum bonum, tenue, fragrans &c. ut debilem eorum calorem foveat, vires infirmas reficiat, cruditates, quibus abundant, concoquat, humiditates excrementitias absumat, & exsiccat, nec non per urinas evacuet, ac tandem tristitiam depellat, & hilaritatem inducat. Hinc illud commune proverbium:

vinum

*vinum latificat cor hominis.* Undè & lac senum appellari solet. Proindè proficit senibus ætas, & initium autumni teste Hyppoc. 3. aph. 18. Æstate & autumno usque ad aliquam partem optimè valent senes.

Læduntur è contrà à cibis frigidis, crassis, viscidis, duris, glutinosis, qui caput tentant, in ventre arefcunt, & facile corrumpuntur: inficiuntur etiam à vinis crassis, quæ obstruktiones pariunt, aut vim adstringendi habent &c. vina enim talia articulorum dolores, catharrhos, renum, ac vesicæ calculos urinæ stillicidia, nec non plurima alia mala eorum corporibus induunt: ita & Hyems senibus inimicissima, quia vehementissimo ejusdem frigore calori maximè contrario offenduntur.

Quapropter senum benè est perpendenda sanitas, ut omnes eorum functiones (de quibus Sennert. lib. 4. part. 2. cap. 5.) ritè obeantur: nám si in

in præcedentibus ætatibus quidam contingent errores, in iis tamen facile se le detegunt, nequè tantum nocent; *Juventus enim plurima suffert.* Si vèrò in senectute quidam committantur errores, non diu latent, sed in dies maje res fiunt. Undè non immeritò tutum senes postulant victus ordinem, nè mors illis insufficientibus obrepatur. Nam plurimi, si curandæ valetudinis rationem tenuissent, in longè majus ævum suam vitam prorogare, & suis moribus, artibus, scientiis, nec non præclariis factis magna commoda mundo ad ferre, sibique ex his longè maiorem gloriam promoreri, & memoriae sem piteinæ nomen suum imprimere potuissent.

Nè tandem prægnantium & puer perarum vietus rationem sicco planè pede præteream, quædam in prælenti maximè necessaria proponam. Primò enim danda est opera, nè de iis, quæ prægnantes offendere solent, fiat locutio:

tio: qualia sunt cibi mali succi, acres, flatuosi: maximè verò allium, cepa, caro porcina, fumo indurata, aceto, aut nimis sale condita, caseus antiquus, fructus; icil. pepones, fungi & terra tubera: Item aromatum nimius usus maximè vitandus. Præterea cibi medicati, urinam moventes, nauleam cientes, & sternutationem excitantes omnes omissitudi; si tamen pravum cibum eadem expetant, eum non planè denegandum, sed de eo ob metum, nè indè aliquid fatui accidat, aliquid dandum conceditur.

Prolunt verò alimenta primò factum confortantia. Uti sunt amygdalæ dulces cum malvatico sæpè comeditæ &c. Item abortum præcautentia uti sunt vinum medicata, aqua destillata, lapid. pretios. marg. coral. ros. eb. cort. citr. caryoph. pom. cydon. lig. aloes &c. plurimum verò vinū malvaticū cum pane ventri impositum. Comendatur & prægnantibus interdum venælectio, de quā vide

vide libellum , quem nuper typis dedit Excellentissimus Dn. D. Marcus Gerbezius inclyt. Carn. statuum physicus ordin. & academicus curiosus. Præterea eligatur cibus maximè temperatus , boni succi , & nutrimenti facilis concoctionis , & celeris distributionis : uti est *caro pullorum* , *gallinarum* , *caponum* , *perdicum* &c. item *caro vitulina* , *ova sorbilia* , & similia. Quæ verò adhuc in recto prægnantium , & puerarum ordine obliterare liceat , videre est apud commemorat. Dn. D. Gerbeziū in tract. de morb. complic. part. 2. cap. 20. & alibi.

Nunc demùm supereft labori in neutro statu degentium vietus ratio : quoniā idem duplex est ; scilicet status decidentiæ , & status convalecentiæ. Status autem decidentiæ ille est , qui à statu temperato , & optimo versus morbum inclinat ; status autem convalecentiæ , qui à morbo iterum se colligit. Quali autem vietus ratione , &

& ordine hæc corpora in statu decidentia, & convalescentiæ degentia administrari debeant, magna reperitur inter Medicos contraversia, quoniam alij similia, alij frigida, & alij calida danda esse existimant. Unde æquum censeo, ut tali in casu satis litteratus Medicus consulendus sit.

Ad anni tempora illicò transeundum, cum diversa illis temperamenta competant, idoneum victrum etiam singulis eligendum esse judicamus: quoniā ver est omnium anni temporum temperatissimum ex Hyppoc. ita etiam temperatissima alimenta postulat; quantitate autem mediocria, id est plura, quam in æstate, & autumno, pauciora verò, quam in hyeme, secundum illud:

*Autumno graviter nec non æstate ciborum*

*Copia digeritur; melius fit coctio brumâ;*

*Verna locum retinent post brumatem pera primum,*

In

In vere enim ex naturâ sunt ventres calidissimi , quare teste Hyppoc. I. aph. 15. Hyeme , & vere alimenta copiosiora sunt exhibenda. In principio tamen veris alimenta Hyemi sint æqualia , quia tunc ver adhuc aliquid de hyeme retinet , in progressu vero sensim immutanda , ita ut ad finem aestati quasi sint similia : nempè frigidiora , & humidiora , & in quantitate pauciora.

Cùm vero æstas sit calida , & sicca , contraria ipsi etiam conveniet victus ratio : nempè refrigerans , & humectans , ut ita bilis dominantis calor dometur , & siccitas ab æstu nimio inducta moderatur ; quapropter nos tunc temporis per beneficium terræ lactucis , oleribus , fructibus &c. corpora nostra refrigerare solemus. Cùm autem calor multum dissipetur ab extrinsecō , pauciora alimenta ingerenda erunt quam in hyeme , & vere , nè calor extinguatur , & etiam facilius concoqui possint.

In

In simili Autumnus victu indigebit in contrario, cum naturâ sit frigidus, & siccus, alimenta debent esse calida, & humida. Advertendum tamen est, ut in principio aestati sit conveniens, deinde parum declinet, secundum posteriorem verò partem ad hyemalem victum magis accedat. Quantitas tamen sit major calidior & siccior, quam in aestate mutationem autem victus sensim esse faciendam, ut ei natura facilius assuecat.

Hyems est frigida, & humida, hinc expediens est, alimentis uti calidioribus, siccioribus, seu benè aromatatis, nec non copiosioribus. Calidioribus, ut externis cæli injurijs, & frigiditati aëris hyberni resistatur: siccioribus, ut phlegma eodem tempore generans absumatur: copiosioribus, ut naturali ventriculi calori (quia hyeme maximè viget, ut docuit Hyppoc. I. aph. 15.) ad concoquendum sufficiant, Hyppoc. enim cit. loc. & Galen.

it in eōmnen. Ventres hyeme, & vere na-  
 & tūrā calidissimos, & somnos longissimos  
 esse, testantur, & Hinc alimenta co-  
 piosiora debere esse existimant. Quo-  
 niam tunc calor nativus plurimus est  
 teste Hyppoc. undē & pluribus egent  
 n alimentis.

## DISSERTATIO XIV.

*An consuetudo, & Delectatio in ali-  
 mentorum usu servanda, vel  
 mutanda?*

**C**onsuetudo multis in rebus non  
 exigui est ponderis, atquē mo-  
 menti : Hinc ab Arist. lib. de  
 mem. cap. 2. altera quasi natura, item  
 naturæ similis nuncupari solet : quia  
 nostrum temperamentum redditur si-  
 mile alimentis, & aëri, quibus diutur-  
 no tempore usi fuimus : Undē non  
 immerito quæritur, an consuetudo,  
 quæ altera natura dicitur, servanda,  
 vel mutanda ? verū enim verò vi  
 Hyppocratici illius servandam esse de-  
 clara-

claratur 2 aph. 50. nām: quæ ex longe  
temporis intervallo assueta sūnt, quam &  
vis deteriora, insuetis minus molesta esse  
solent, Proptereà si quispiam insuetis ab  
se velit assuescere alimentis, facilè aban-  
ijs offenditur, & si alijs assuetis per bi-  
duum, aut triduum non utatur, in-  
fallibiliter ægrotare incipiet: Novi  
plurimos, qui à solitâ potandi consue-  
tudine aliquot diebus se abstinerint, q  
in varias corporis inciderunt ærum-eu-  
nas, nequè sanari potuerunt, donec po-  
ad pristinum potandi morem reversi eu-  
sunt. Novi & alios gulæ, & ingluvie ieg-  
deditos, qui casu aliquo ex necessitate fæ-  
coacti parcus comederunt, magnânu-  
corporis tenuitate, ac plane morbo ta-die-  
bifico affecti sunt: Huc arridet illa So-nâ-  
lenand. relatio concilior. medicinal. sect. rep-  
5. consil. 15. quòd quidam rusticus ad Le-  
Hospitale perductus sit, nullis remediis  
curari potuit, Tandem brevi mori-  
tarum quæsivit Medicus, quid pete-  
ret, & quâ victus ratione anteà usus ce-  
sse?

gesset? Respondit se planè ab isto cibo,  
& potu, syrupis, & id genus aliis, ut &  
electo, quod nimis mollis esset, planè  
ab horrere; cum non dormivisset intra  
bannos novemdecim in lecto, atquè  
fuisset caleo, & similibus, & sub dio  
in stramine vestibus dormivisset. Me-  
dicus permisit, ut unâ nocte in strami-  
ne dormiret, & uferetur sale, cepis, &  
aquâ frigidâ. Etsi verò arbitraretur  
eum indè citius moriturum, tamen  
postridiè præter omnium opinionem  
suum foco adstantem invenit. Vidi &  
iego Anno 1691. ultimâ die novembris  
efæminam rusticam in pago Zefenza  
anuncupato Labaco uno, & dimidio sta-  
dio distito Savum versus febre malig-  
nâ cum bubone sub axillâ dextrâ cor-  
reptam, cuius cura mihi, & Chirurgo  
Leopoldo Haffner civitatis hujus or-  
din. ab Illustrissimo, & Reverendissi-  
mo S. R. I. Com. D. D. Octavio Bu-  
celleni pia memoria Præposito Laba-  
scensi &c. patrono meo singularissimo,

quâ Excelſæ hujus Provinciæ Præſideſat  
ob ſuſpicionem, & metum eo ex infeſtō  
riori Carniolia delatae, ac propagata no-  
peſtis, demandata fuit, potu vini, ne Hy-  
non cibis crassioribus more ſolito al-  
ſuetis uſam, priſtinæ ſanitati reſtituantur  
fuſſe; ubi victus tenuior, id eſt pa-  
tellæ cum jure pulli, aut ptifana horſtri-  
deacea cum emulſione ſeminum, me 8.  
lonum valetudini ſuæ minimè infeſti  
viviffent. Unde ſanè non parva conne-  
ſuetudinis habenda eſt victūs ratio, & xia  
quidēm non ſolum circà luſtantiam lat-  
ſed etiam circà qualitatem, & quanti-  
tatem ciborum, & tempus exhibendi m-  
Quod Hyppoc. I. aph. 17. aperuit qu-  
Quibus ſemel, aut biſ, & quibus plura, & No-  
pauciora, & particulatim oporteat offerre.  
Considerandum autem, ut aliqui ro-  
tempori, regioni, atati, maximè vero con-  
ſuetudini tribuendum ſit.

Mutanda tamen conſuetudo, ſi ſi  
prava, & noxia, at non quovis tempo-  
re, ſed eo maximè, quo homo adhu-  
ſau

sanus est, & benè valet, nec tunc subi-  
tò, quia subitaneas mutationes natura  
non tolerat, sed sensim & paulatim  
Hippoc. 2. aph. 54. esse faciendam  
præcepit. Et quidem dum homo à  
publicis, privatisvè negotiis est im-  
menis, non autem illis deditus, & ad-  
strictus: Quapropter Galen. lib. 5. cap.  
8. de tuend. sicut. ut prava consuetudi-  
nis mutatio instituatur convenienter,  
necessaria est, ut primò sit vitiosa, & no-  
xia. Advertendum tamen, ut fiat pau-  
latim, id est, non statim ab uno extre-  
mo in alterum. Nequè est varianda in  
multis, & gravibus occupationibus, sed  
quando otio, & quiete abundamus.  
Nec non propter varias rationes cibo-  
rum urget mutatio: è quarum nume-  
ro sunt morbi, qui à cibis consuetis fo-  
veri, vel augeri possunt. Variat & ætas  
consuetudinem, quæ jam provecta, ci-  
bos concoctu difficiles ita subigere  
non potest, uti in juventute solebat.  
verùm & alia adhuc mutant consue-  
tudi-

tudinem, de quibus hic non est mentio.

Extant nunc cibi delectabiles, qui non solum bene parati arrident, sed etiam sunt boni succi, concoctu faciles, & multum nutrientes; ut carnes caponum, gallinarum, pullorum, phasianorum, perdicium, Brodia item carnium bona nothæ, ova recentia, eaque tremula, & sorbilia. Extant & tales, qui palato quidem sapiunt, sed recentis sunt contrarii: eos tamen præferendos esse, quibus aliquis magis delectatur, etiam si paulò deteriores sint iis, quos aliquantulum averlatur, *sect. 2.*  
*aph. 38.* docuit Hyppoc. suavior enim cibus cum voluptate assumitur, hinc ventriculus amplectitur avidius, retinet diutius, concoquit facilius, undè & melior sequitur nutritio, viriumque refectio, quæ verò sunt ingrata, ea ventriculus respuit, & averlatur; præfertim in ægrotantibus, qui plerumque à cibis abhorre solent: undè fit, ut

cum

cùm delectabilia denegentur, alia autem meliora, à quibus ventriculus abhorret, minus probè conficiantur, etiamsi bona nutritio, viriumquè refectione desideretur: Proinde oportet interdum in iis juxta Hyppoc. monitum 6. *epid. sect. 4.* gratificari ægrotantibus, quæ non magnoperè laedunt, aut facile corrigi possunt. Econtrà tamen damnantur ii à Galen. *lib. 12. method. c. 1.* qui omnia ab iis experta liberaliter porringtont. Nec non 1. *Method. cap. 1.* qui frigidam exhibent, si hanc ægris poposcerint: qui vinum, nivemquè porringtont, quando hæc postularint: qui denique quidquid optarint, mancipiolum ritu faciunt; quæ enim ægris insignem noxam inferre valeant, prorsus abdicanda. Verùm tamen ad insolita facienda est mutatio. Sed paulatim, quod enim fit paulatim, tutum est, maximè verò ubi ab uno ad aliud est facienda mutatio; Hinc neque in statu convalescentiæ corpora statim

restituere oportet, observandum est ex co-  
aph. Hyppoc. 7. sect. 2. quoniam qui ve-  
longo tempore extenuata sunt corpora, du-  
sensim reficere oportet; qua verò brevi, tu-  
repentè. Atquè hæc in præsenti sunt in à  
alimentorum usu de delectatione, &  
confuetudine.

## DISSERTATIO XV.

*An ex bono Cibo generari possit Chy-  
lus & Chymus malus?*

**A**d præsentem inquisitionem Re-  
spondeo cum distinctione, non  
posse generari malum chylum ex in-  
bono cibo per se concedo, nam qualis  
est materia, tale est materiatum indè  
genitum: non posse generari per acci-  
dens nego: quoniam id contigit ali-  
quando ob nimiam quantitatem,  
quam ventriculus concoquere nequit:  
nonnunquam ob intempestivam boni  
cibi assumptionem, quando enim is  
ingeritur priori nondùm concocto,  
hujus namquè cruditas bonum cibum

cor-

corrumpit: interdum ob ventriculi vel infmitatem, vel impuritatem, dum noxiis humoribus est conlpuratus, iisquè vel à ventriculo genitis, vel à capite, liene, hepate, & partibus aliis ad illum missis: tandem ob ætatem & temperamentum diversi corporis; ut potè mel in senibus bonum gignit succum, in puerili ætate malum, quia ob caloris exsuperantiam vertitur in bilem, in senibus non ita, quoniam caloris excessu carent.

Sic lac bonæ nothæ per se quidem in bonum mutatur sanguinem, & salutare est, per accidens autem transformatur in malum, scilicet ratione ventriculi, qui si sit frigidus, accescit; si calidus, indurescit: ita multa sunt salubria sanis, noxia verò ægrotantibus; id ipsum declarant fructus, qui à sanis sumuntur innobiè, à febricitantibus verò magno cum incommodo, uti notavit Hyppoc. 4. aph. 65. Si quis febricitanti cibum afferrat, quem sano exhibet,

*hibet, valenti eſſe robur, agrotanti vero  
morbūm.*

Quæri autem posset hic contrari-  
um, an ex cibo malo chylus bonus gig-  
ni possit? Respondeo negativè propter  
prædictam rationem; qualis enim est  
materia, tale & esse solet materiatum,  
nihil enim ultrà suas vires agere con-  
ſuevit. Hoc autem dicere licet, quod  
ex cibo minus malo, minus quoquè  
malus producatur chylus; ex malo ve-  
rò magis, & in excellentiori gradu, ma-  
lus etiam naſcatur affectus: nam si ci-  
bus tantùm vel in ſubſtantia, vel in ali-  
quā qualitate vitium habeat, pernicio-  
ſum ſolet generare materiatum, quòd  
ſi verò aliquid maligni, aut venenati  
in ſe contineat, ut v. g. fungi & ova  
antiqua pefſimum etiam, & lethife-  
rum materiatum cauſare valent; tan-  
tā enim vi ventriculus minimè pollet,  
ut venenatam ciborum naturam vin-  
cere, & in bonum ſuccum mutare va-  
leat.

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> XVI.

*An Homini magis noceat fames, an  
ingluvies, sive immoda ciborum  
ingurgitatio?*

**Q**uod & fames, & ingluvies natu-  
ram laedant, clarè demonstrat  
Hippocrates 2. aph. 4. *Non satie-  
tas, non fames, nequè aliud quidquam,  
quod naturæ modum excedit, bonum. Fa-  
mes enim in sanis est cibi ad nutritio-  
nem necessarii defectus; in crapulâ, &  
ingluvie verò excessus, utrumquè au-  
tem extremum naturæ inimicum;  
propterea natura, quæ in Symetriâ  
consistit, ab utroquè abhorret. Verùm  
cùm in hisce vitiis in excessu scilicet, &  
defectu alterum altero sit deterius, ma-  
gisque noceat, non immerito quæri-  
tur, an homini, qui corporis sanitate  
fruitur, famem tolerare pejus sit, & sa-  
nitati magis aduersetur, aut si corpus  
nimia ingluvie gravetur & oneretur?*

Respondeo diversam quidèm diversorum esse sententiam ; nocentiorem n tamen ciborum nimiam ingurgitatio nem sequentibus demonstratur rationibus. Omnes primò morbi ut plu- 2 rimùm ex crapulâ, & ingluvie prove niunt, quia omnes venælectione, pur gatione aliisquè evacuationibus resti tuuntur. Proindè immodica ciborum ingurgitatio calorem nativum suffo cat, cruditates parit, obstrunctiones vi cerum producit, febres putridas, scabiem, vulcera generat, & Hydropem inducit, voracitas quoquè talia corporis procreat vitia, quæ ægrè curari pos sunt, & hæc gula inexplebilis nequè sanitatis, nequè morbi tempore pro dest, aut concedi potest ; hinc nulla res laboranti majori est levamenti, quām certo tempore cibi abstinentia, & fa mes optima omnium remediorum est quies, & abstinentia à cibo, & potu, hæcquè sola sine ullo periculo medetur.

Fames itaque, vel saltem tenuissimus victus, qui universæ satietati in exhausto opponitur, multoties profest: Hoc etiam docet Hyppoc. I. aph. 20. nè naturam, dum mollitur crisim, aliud moveamus, sive medicamentis id fiat, sive aliis irritamentis, sed quietamus, & in ejusmodi actu tantum naturæ benè operantis spectatores simus, nè illam suo in officio impediamus. Vult & Hyppoc. I. aph. 19. ut in peracutis morbis, qui extremos labores symptomata protinus inferunt, tenuissimo victu utamur, nè ob cibi exhibitionem calorem aucti morbi, qui per se calidus, valde augeamus, nè materiam ejus reddamus completiorem, nè etiam naturam à suo officio abstrahamus, quæ circà materiam morbificam occupata est, ut concoquatur, à puriore alimento separetur, & tandem prorsus expellatur, vel ad locum alium transferatur; molliri enim natura solet in crisibus, vel materiæ excretionem,

vel illius deductionem ad partem ali-  
am, ut abscessus indè nascatur, quod  
observat. Hyppoc. cit. loc. in febrium  
paroxysmis, aliisque morbis, qui per  
periodos, vel statos circuitus redeunt,  
nihil dare, nec cogere, sed adimere, &  
ante crisim consuetum subtrahere vi-  
cium oportet. Consultit etiam Hippo-  
crates, ut corporibus humidà carne  
præditis fames imperetur, eò quòd fa-  
mes corpora siccet, nam cùm calor na-  
tivus non habeat alimentum, in quod  
agat, tunc superfluitates aggreditur  
easque consumit, undè corpus siccus  
redditur.

Quòd si verò animalia objiciantur,  
quæ hyberno tempore suis in latibulis  
degunt, nequè cibi, nequè potus quid-  
quàm assument, & tamen pinguis eva-  
dunt, ut mures illi alpini, qui marmotæ  
vocantur, & glires, qui, ut martialis ait,  
totam hyemem dormiendo transfi-  
gunt, & pinguescunt adeò, ut non nisi  
somno nutriri dicantur,

Respon-

Respondetur cum Galen. quod animalia ista nequè foris caiefiant, nequè intus, hocquè nomine substantia eorum, vel nihil prorsus, vel parùm dissolvitur, undè contingit, ut nullo in iis opus sit alimento, nonnullis etiam vel paucò admodùm, vel etiam minimo.

Nimiam etiam tolerare inediā corpori humano maximè officere in eodem aphorismo docuit Hyppocrates: *non saties, non ipsa fames laudanda, nec ulla naturæ solitum, quæ sunt transgressa tenorem.* Verūm enim inedia siccat sanguinem, qui pabulum est partium corporis, & materia spirituum; vires itaque frangit, & dejicit, floridum, vividumquè calorem eliminat, ventriculum malis implet humoribus, is namquè si vacuus est, cibum exigit, & si illum ad concoquendum non habeat, ex vasis propinquioribus humores scilicet serosos, pituitosos, melan-cholicos attrahit, ac adurit, undè vitiosus sanguis nascitur, qui per vasa in re-

liquum corpus effusus plurimorum  
morborum fæcundus est genitor. Præ-  
stat igitur urgente fame cibum oppor-  
tuno tempore assumere, nec ventricu-  
lum ad comedendum instigantem  
diutius macerare: Animadvertisendus  
ille tamen aphorismus Hippocratis:  
*Sanitatis studium est, non satiari cibis, &*  
*impigrum esse ad labores; nam ubi plus*  
*cibi, quam pro naturâ ingestum est, hic*  
*morbum facit.* Mediocritatem au-  
tem commendavit Hippoc. Lib. 6.  
epid. sect. 4. Ubi & labores, cibum, po-  
tuni, rem venereum, omniaquæ alia de-  
bere esse mediocria præcipit.

Distinctione autem hic opus esse vi-  
detur intèr sanos & ægros. Et si de  
sanis sermo est, ratio iterum habenda  
ætatis, temperamenti, vitæ instituti &c.  
*de quibus in prior. dissert. abundè egimus.*  
Ægros quod attinet suprà ex Hippoc.  
sententiâ dictum fuit, ut in morbis per-  
acutis exquisitè tenuis victus præscri-  
batur, nè materia peccans augeatur:  
Undè

Undè superflua humorum copia fame  
ac ordinatâ vietâ ratione auferenda  
est, quæ ex nimiâ ingluvie, voracitate,  
& ciborum immodecâ ingurgitatione  
ducit originem, & hæc absquè dubio  
fame deterior.

Lethiferam etiam esse abstinentiam  
scribit Hyppoc. præcipue verò, quæ  
durat ultrà diem septimum. Cibus  
enim omnibus corporibus necessarius  
est, quoniam corpus, ut Gal. loquitur,  
in perpetuo fluore est, id ob calorem  
nativum, qui nunquam otiosus, tripli-  
cem corporis substantiam depascitur,  
ideoquè ut corpus aliquamdiu conser-  
vetur, vivat, ac reparetur, quod efflu-  
xit. Verùm autem alios diutius, alios  
brevius inediam ferre posse, con-  
stat ex sequent.



f  
r  
u  
t  
v  
i  
t  
t  
p  
a  
e  
L  
I  
L

## DISSESTITO XVII.

*An quidam difficilius, & laboriosius,  
quidam diutius, & facilis jejunium  
ferre possint?*

**Q**uemadmodum quædam corpora liberaliore, quædam parciore cibo indigent, ita etiam quædam facilis, quædam difficilis jejunium tolerant: nam, qui in primis ætatibus sunt constituti, nempe pueritiatâ, adolescentiatâ, juventute, & virili ætate, quorum ventriculus calidus est, atquè robustus, qui duros subeunt labores, qui viribus pollent, in regionibus degunt borealibus copiose cibo alendi sunt, si verò longum jejunium sufferant, emaciati, longuidi, decolores, viribus planè omnibus exhausti, ut sibi vix' amplius similes esse videntur, fiunt, & ita post istud jejunium adeò existunt famelici, ut oblatos cibos non solitò comedant, sed fame-

famelicorum canum , & luporum mo-  
re devorent , atquè adeò le infarciant ,  
ut vel in morbos ex repletione abor-  
tos , eosquè vix sanabiles decidant ,  
vel brevi temporis spatio emoriantur ,  
idquè ob sanguinem exhaustum , spiri-  
tuum defectum , & caloris nativi ex-  
tinctionem , quibus rebus vita præci-  
puè consistere dicitur ; quorum Exem-  
pla plurima apud Schenk. *in observat.*  
Marcell. Donat. *in Histor. mirab.* &  
alios reperiuntur . Maxima verò in-  
comoda præsertim picrocolis jejunia  
longiora afferre solent , quia ventricu-  
lus vacuus biliosis impletur humorib-  
us , qui cardialgias , colicas biliosas ,  
& alios affectus pariunt .

Hi verò , qui tam copiosum cibum  
non postulant , jejunium facile ferre  
possunt , sunt autem senes ; multi ægro-  
tantes ; nec non ij , quorum ventricu-  
lus imbecillis , vel phlegmaticis , serosis ,  
biliosisque humoribus est repletus ;  
sunt & ij , qui in otio , & ignavam vi-  
tam

tam agunt; somnolenti, & qui in multam usque diem stertunt, qui laboribus, & corporis exercitationibus sunt vehementer delassati: proinde & iij qui in regionibus habitant calidioribus; quoniam tales vel ob ventriculi imbecillitatem, vel ejusdem cruditatem, impuritatem, & temperamenti frigiditatem, cutisque densitatem, arcensem corporis fluorem jejunium diu tolerare possunt: jejunare etiam diu, facileque possunt illi, quorum ventriculus ob usum crebrum lardi, butyri, olei, & eduliorum pinguium, lentorum, viscidorum, & glutinosorum factus est laxior, vel etiam ob narcoticorum medicamentorum assumptionem ita stupidus est redditus, ut suctionem os ventriculi superius minimè sentiat: Hinc diuturni jejunij, & famis tolerantiam nicotianæ usus facere dicitur. Monardes scribit Indos nicotianâ famem, sitimque sedare: formant itaque trochilos parvulos ex illâ, & quibusdam

busdam alijs ingredientibus , & ita  
unum , atquè alterum , successivè ta-  
men ore excipiunt , succumquè indè  
extugunt ; è autem ratione , cùm per  
deserta nequè cibus , nequè potus re-  
periatur , famem , & sitim per tridu-  
um , aut quatriduum citrà virium ja-  
cturam mitigant , quâ verò ratione ,  
& facultate id eveniat , obscurum esse  
exæstimatur : Probabile tamen mihi vi-  
detur fieri propterea , quoniam sensus  
ventriculi obtunditur à Nicotianâ : un-  
dè etiam scribunt Botanographi , inter  
quos est Monardes , & Dodonæus , in-  
esse nicotianæ vim narcoticam , eam-  
què ex effectibus probant , quoniam  
stuporem inducit , mentem emovet ,  
& constitutionem ebrietati anna-  
logam adfert .





## DISSERTATIO XVIII.

*An recta, & benè instituta victus  
ratio remedium sit tām ad sanitatem  
conservandam, quam ad recupe-  
randam?*

**T**antum rectæ, & benè institutæ  
victus rationis ad valetudinem  
servandam, & reparandam mo-  
mentum, ut rectè à Galeno *l. de diæta*  
scriptum fuerit, nullum remedium ef-  
ficax esse, si ei victus resistat, aut non  
sit auxilio; rectam autem victus ad-  
ministrationem tanti esse ponderis elu-  
cescit ex eodem, dum *i. de rat. vict.  
acut. 12.* ex Hippocratis scribit sen-  
tentiâ: Non est Medicus, qui scit no-  
minare ptisanam, & hoc, vel illud ge-  
nus eduliorum, sed qui calleat artem, ut  
hæc rectè administrentur; quoniam  
patet ex Historiâ filiæ Philonis, quæ  
authore Hippocrate, septimo die libera-  
li accedente Hæmorrhagiâ videbatur  
morbi

morbi periculo defuncta. At eādem die, improvidè lautiori usa cænâ, vitam cum morte commutavit, avocata enim naturâ à pepasco ad pepsin. Indè juramento Hyppocrates obstrin- git Medicum, ut promittat, rectâ, & be- nè institutâ victus ratione uti ad salu- tem ægrorum, quantum viribus, & ju- dicio valuerit.

Moderatæ itaque vitæ lex ita utilis est, & necessaria, tantæquæ virtutis, ut eā solâ molesti morbi vindex, & libe- ratrix esse possit, alioquin licet salus ip- sa ægrum servare cupiat, non possit. Videmus plurimos, & quidem magnæ nothæ viros, quieti natura sint debi- les, & ætate provecti, & assiduè officiis mentis intenti, tamen beneficio rectæ, & benè institutæ victus rationis sani, a- lacres vivunt, & incolumes, ac ab omni morbo notabili totâ quasi vitâ, longâ- quæ ætate immunes: quoniam recta victus ratio corpus humanum ab om- nibus quasi morbis reddit liberum: au- fert

fert catharrhos, tusses, asthmata, vertigines, capitis, & stomachi dolores: arcet apoplexiam, epilepsiam, lethargum, aliisque cerebri affectus: curat podagram, chiragram, dolores ischiadicos, & morbos articulares: aufert & cruditatem omnium morborum matrem: Arcet & pestem: quoniam faciliter veneno resistitur, si corpora non scateant superfluis & excrementitiis humoribus.

*Victus enim ratio ita humores temperat, & in debitâ proportione conservat, ut nequè quantitate, nequè qualitate peccent; ubi verò est congrua humorum symmetria, ibi morbus locum non habet, cum ratio sanitatis in tali proportione consistat; & eadem corpora pura, & humores benè temperatos habentia non ita facile lœduntur ab æstu, frigore, labore, & similibus incommodis. Hoc etiam contingit in fracturis ossium, luxationibus, contusionibus, vulneribus, cum nullus vel exiguus fiat affluxus humorum ad partem affectam,*

etiam, qui affluxus curationem maximè impedit, & dolores, & inflammations efficit. Quamvis verò recta & benè instituta victus ratio non curet, vel afferre nequeat morbos incurabiles, eos tamen ita mitigat, ut facilè tollentur, nec magnoperè functiones animi impedian; facitquè, ut ægri cum iis diù vivere possint. Nequè solùm ad extremam senectutem morborum, & dolorum expertes ii perveniunt, qui convenientem servant victus ordinem, sed etiam in ipsâ morte nullos ferè, vel exiguos dolores sentiunt: quia non vi illatâ naturæ, sed simplici resolutione, humiliquè radicalis consumptione vinculum animæ & corporis dissolvitur; ut lampas sponte suâ absquè strepitu oleo consumpto extinguitur.

Nunc demùm quibusnam comodis recta, & benè instituta victus ratio recuperandæ sanitati inserviat, quædam demonstrare licet. Verùm in fonte Diætetico victus ratio primū sibi locum vendi-

vendicat, hinc etiā plurimum ad recuperandam sanitatem facit: nam in frigidâ intemperie cibū calefacentem, in calidâ refrigerantem; in humidâ exsiccantē, in siccâ humectantem præcipit. Hinc in repletione imperatur abstinentia, & tenuior victus ratio ex Hypp. 2. aph. 22. quicunque morbi ex repletione fiunt, eos evacuatio sanat, & quicunque ex evacuatione, repletio. Proinde fracturas, luxationes, vulnera &c. (non neglectis tamen convenientib<sup>9</sup> remedijs) ordinatâ benè victus ratione curari docet experientia. Præ cæteris docet victus ratio ut cibus secundū speciē sit tenuis; secundū substantiæ modum *Euchymus*, *Eupeptus*, *Polytrophus*; secundū præparationem naturæ gratus, secundū quantitatē mediū teneat, qualitate vires custodiat, & intemperiem propulset. Hæc de cibo, quatenus sanitatem conservare, vel morbos inducere solet, dicta sufficiant.



## DISSERTATIO I.

## De Potu.

**P**otus geminam habet significationem, unam generalem, alteram specialem. Potus generaliter sumptus denotat omne liquidum, & fluidum alimentum, ita ut & jūcula, sive Brodiola carnium possint potus appellari. Specialiter vero acceptus illum liquorem significat, qui sitis extinguendae gratia bibendo assumitur, quā in significatione *Aqua*, *Vinum*, *Cerevisia*, *Julepi*, *Hydromel* potus dici solent. Inveniuntur & multa alia potuum genera ob vini penuriam in variis regionibus communiter usurpata, ut *pomaceum* *pyraceum* &c. quæ quoniam apud nos incognita, & inusitata sunt, iis, qui has regiones incolunt,

colunt, examinanda relinquimus. Præterea etiam varia potuum genera à Medicis præscribuntur, ad multorum morborum curationem, & præcautio-  
nem: ut ptisana ex Hordeo, liquiritiâ,  
ebore, cornu cervi, variisque radicibus, &  
herbis confecta: uti ex chinâ, salsa parilla,  
santalo, Buxo, rhabarbaro &c. quæ in  
præsenti consultò omittimus, potui-  
sanorum tantum inhærentes.

Aqua itaque communis non solum po-  
reliquorum animalium, sed etiam tu-  
multoru[m] hominum potus est; esse ve-  
l autem aquam frigidam, & humidam sil-  
abundè demonstratur à Philolophis; au-  
tem potam etiam, ut & reliqua elementa effi-  
reperiiri non posse ab iisdem approba-  
tur.

Vino major pars hominum pro po-  
tu utitur. Proindè tamen de ejusdem  
naturâ, & temperie authorum op-  
niones discrepant, quoniam illud cali-  
dum est, an autem calidum sit, & hu-  
midum, an verò calidum, & siccum  
differe-

dissentient; vinum tamen in genere  
à consideratum in activis qualitatibus  
calidum, in passivis verò siccum esse à  
plurimis comprobatur. *De quib. in seq.*

Cerealis potus ab arte, non à natura  
proveniens est cerevisia, quasi cereris  
vis, quia in ea frugum vis dominatur,  
in iis autem locis, ubi uberior vini pro-  
ventus non est, nec non iisdem à lon-  
go tempore assuetis, familiarissimus  
potus est. Varia autem cerevisiae na-  
tura, & temperies est, quoniam ex di-  
versis conficitur, fit namquè *ex hordeo,*  
*filagine, avena, tritico, lupulo &c.* Hunc  
autem potum etiam satis commodum  
esse ac homines, qui eo utuntur, robo-  
re, pulchritudine, & bonâ corporis con-  
stitutione iis, qui vinum bibunt, vix  
cedere testatur experientia.

Mulsa, sive hydromel est potus ex  
aqua, & melle confectus. Potus est in  
Lituania, nec nō Sarmatis, ac Muscovii.  
tis in usu frequentissim⁹, nostris in par-  
ibus non ita usnalis. Verūm in gene-

re de multis naturâ non multum  
dici potest, cùm alia sit meraca, alia di-  
luta, alia cocta, alia cruda, alia cum, alia  
sine aromatibus. De quibus tamen in  
dissert. seq. ubi aquarum, vinorum &c.  
naturæ, & differentiæ explicabuntur  
differendum erit.

## DISSERTATIO II.

*Quis potius usus, sive necessitas, est utilitas.*

**P**rincipalis potus usus, cuius gratia  
homines bibunt, est, ut sitis delea-  
tur; quod si etiam vim nutriende  
habeat, ut vinum, & cerevisia, humi-  
dam corporis substantiam, quæ immi-  
nuta, reparat: Ex triplici itaque sub-  
stantiâ corpus nostrum est conflatum  
ex solidâ, humidâ, & spirituosa; soli-  
dam restituunt ea, quæ sunt solidior,  
*ut panis & caro &c.* humidam relaxant  
liquida, *ut vinum cerevisia &c.* Spiri-  
tuosam aër per nares, os, & arterias  
attractus, Idcirkò non minor est potis  
quam

quam cibi, & aëris necessitas. Ut enim cibo siccior, & solidior substantia, quæ absumpta est, restituitur: ita potu humidior instauratur; Hac de causâ natura animali sitim, & famem indidit, quâ humidum deficiens appetitur, potusquè desideratur, qui non solùm actu, sed in primis facultate, & potentia humidus sit, nec calore quoquè excedat, alias enim humidum absumptum non restituet, nec sitim sedabit, & si non instaureretur, corpus tandem contabesceret plantarum in modum, quæ nisi rigentur, arefiunt, & emoriuntur.

Præter hunc usum, instaurationem scilicet humidi, & sitis naturalis extincionem, alii adhuc sunt potūs usus, quos tamen etiam juscula, aliaquè liquidiora alimenta præstare possunt, quamvis priorem usum, hoc est, sitim non extinguant, quoniam facultate siccum aliquid ex solidioribus carnium elixarum partibus coctione extractum continent. Inservit enim potus,

& alimenta liquidiora ad deterendum illud humidum, pingue, & crassum per angustos vasorum meatus. Inservit denique, ut cibi in ventriculo benè misceantur, liqueantur, & fundantur, ut facilius undique coctionem suscipiant. Ac tandem inservit, & prohibet, ne ille pingue alendo corpori destinatum a calido inflammetur.

Necessè autem est, ut potus, qui assumitur, non solum celeriter distribuantur, sed etiam sensibilitè vires reficiat, facile concoquatur, laudabilem succum generet, paucis scateat superfluitatibus, & exrementis, nec non secundum majorem suæ substantiæ partem corporis partibus assimilari queat: nam aqua simplex, ita & vina aquosa tenuia, limpida celeriter quidem distribuntur, non tamen alunt, neque vires instaurant, & hæc de cibi usu.



DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> III.

*An detur determinata quædam in  
moderato potūs usu quantitas?*

Cùm diversitas sit inter eos , qui plus , vel minus ingerunt , diversa etiam erit inter illos potūs quantitas : quoniam cibo sicciori & solidiori proportionata debet esse potūs quantitas , ut ad ciborum misturam in ventriculo sufficiat , ut dein cibi facilius coctionem suscipiant .

Ea itaque est determinata potūs quantitas , quæ ad instaurationem scilicet humidi , & sitis naturalis extinctionem ad necessitatem substituitur , non ad voluptatem , aut ad intemperantiam . Nam sicut moderatus vini , cervisiae , aliorumque his cognatorum potuum generum usus corpus humectat , spirit<sup>9</sup> , & vires roborat , coctionem distributionemque ciborum juvat , utinam provocat , corporis habi-

tum calefacit, absumptū humidū restituuit, sitim sedat, cùm aduersus siccitatem sit remedium: somnum conciliat, bilis acrimoniam frangit, mentes exhilarat, placidosquè mores efficit: ita immoderatus ejus usus ipsissima valetudinis, & humani corporis pestis est: immoderata enim potūs facit quantitas, ut cibi in ventriculo natent, & fluctuationem excitent, crudi rapiantur à venis, ac deìn pravi humores cumulen-tur in corpore, ac tandem calor nati-vus iisdem obruatur, & mors sequitur. Quænam adhuc alia immodicus potūs ulius efficiat, enarrat Plinius *lib. 4. Hist. nat. c. 23.* nam eos, qui ad perdenda vina nati sunt, multa comitantur incommoda. Quoniam tūm avidi matronam oculi litentur, tūm animi secreta proferuntur: alii testamenta sua nuncupant: alii mortisera loquuntur, redditurasquè per jugulum voces non continent; vinoqué veritas jam attributa est. Intereà & optimè cedat, solem

lem orientem non vident, ac minus  
diu vivunt: hinc pallor, & genæ pen-  
dulæ, oculorum vulcera, tremulæ ma-  
nus, & quæ sit pæna præsens, furiales  
somni, & inquies nocturna, præmium-  
què summum ebrietatis libido porten-  
tosa, ac jucundum nefas. Postero die  
ex ore halitus crudi, ac ferè omnium  
rerum oblivio, morsquè memoria. Ni-  
mia itaque potūs quantitas destillatio-  
nes, tusses, Coryzas, apoplexiam para-  
lysim &c. inducit, & affert: hæc est  
enim ratio, quia caput vaporibus im-  
plet, qui ibidem refrigerati, in frigidam  
pituitam, quæ istorum malorum causa  
est, densantur. Hinc non tantum à  
potu vini generosi, fortis, & potentis,  
sed etiam à copiâ omnis humidi absti-  
nendum, & quantum fieri potest siccâ  
diæta utendum consulimus: Sapientia  
enim in sicco residet, non in lacunis & pa-  
ludibus. Moderata enim potūs usus  
quantitate fit, ut superflua humiditas,  
vel non gignatur, vel genita consuma-

tur, & consequenter ut obstrunctiones, quæ ab eâ proveniebant, tollantur, & viæ spirituum laxentur, & ipsi spiritus extenuentur, debitumquè statum consequantur, & cerebro nativum redeat temperamentum, siatquè unâ cum spiritu idoneum, ut rationi, & memoriae nostræ deserviat.

## DISSERTATIO IV.

*Quænam aqua bona, & salubris,  
quænam mala, & insalubris?*

**Q**uamobrem magna est aquarum diversitas, ita etiam diversa est earum conditio, quoniam quædam bona, & salubris, quædam mala, & insalubris dicitur. Optima autem illa est, quæ & visu, & gustu, & olfactu pura, ac syncera deprehenditur, quæ nimirum visui appareat limpida, & pellucida, & nullius rei saporem, vel odorem gustui, vel olfactui offert; quæ est & levis, & tenuis, atquè hypochondria celestiter permeat, & per corpus citò distribuitur,

buitur, citò calefcit, & refrigeratur:  
Quoniam Hyppocrates s. aph. 26. a-  
quam quæ citò calefit, & citò iterum  
refrigeratur levissimam esse existimat.  
Gallen. in *Comment.* interpretatur le-  
vissimum esse permeabile, sive quod  
citò permeat, non autem intelligit de  
gravitate, quia aqua bona, & mala sa-  
pius ejusdem est ponderis, adeoquè per  
pondus bonitatem aquæ explorari non  
posse: Proinde & aqua bona versùs o-  
rientem erumpere debet, & per meatus  
mundos celeriter currete, seu per ter-  
ram puram transcolari, aestate debet es-  
se frigida, hyeme tepida. Hinc aliqui  
lintei panni ejusdem ponderis duas,  
vel plures particulas diversis aquis ma-  
defaciunt, & soli exsiccandas expo-  
nunt, quæ enim citius exsiccatur le-  
vior, tenuior, ac melior esse dicitur:  
Plinius lib. 31. c. 3. ait, aquam salubrem  
aëri quam simillimam esse oportere,  
id est, quemadmodum purus aëris, nec  
visui, nec odoratui, nec gustui manife-

stâ ullâ qualitate officit, ita nec aqua officere debet.

Cùm autem diversæ aquæ reperi-  
antur, indè etiam aliquæ plûs, aliquæ  
minùs prædictæ bonitatis habent. A-  
qua præterea fontana primum locum  
habet juxtâ sententiam Hippocratis,  
Galeni, & Avicennæ, modò condi-  
tiones habeat superius propositas: si verò  
ijs destituatur, improbanda est; aqua  
autem fontana est ea, quæ è terrâ Ica-  
turit.

Aqua pluvialis post fontanam om-  
nium optima censetur, imò verò  
quàm à plurimis Authoribus fontanæ  
præfertur, si conditionibus requisitis  
stipata sit, hæ autem conditiones sunt,  
si fictilibus tubis in conseciam cister-  
nam deducatur, si per locum arenâ re-  
pletum transfundatur, si verno tem-  
pore blandè, & pacatè, non autem  
procellosè decidat, si in mundâ cisternâ  
purâ, & incorruptâ servetur, nequè  
sordes, aut vitium aliquod contrahat-

ex

ex tegulis, quas eluit. Cur autem aqua pluvialis bona sit, demonstrat Vitruvius *Lib. 8. c. 9.* quæ ex imbribus, *inquit*, aqua colligitur, salubriores habet virtutes, eò quod eliciatur ex omnibus fontibus levissimis, subtilibus què raritatibus, deindè per aëris exercitationem percolata tempestatibus liquefcendo pervenit ad terram. Ita etiam Hippocrates *Lib. de aëre, locis, etaq.* aquam pluvialem laudabilem existimat, quia levis, & tenuis, ex eo, quod à sole tenuissimum trahatur, & levissimum. Auerhœs *in canticis* differtè asserit, aquam pluvialem optimam esse, & fontanà longè excellenterem. Et Arist. *8. de hist. animal.* dicit, *pisces ipsos*, qui in aquâ continuâ degunt, non bene vivere, ac sebolescere ijs annis, quibus pluviae deficiunt. Imò & arundines in palude prognatas sine imbribus non adolescere affirmat Plinius.

Aqua putealis etiam bona est, si fontes vicinos habeat, ex quibus aquæ

laudabiles scaturiunt; (*conjiciendum*  
*enim est, ab illis fontibus aquas suas qua-*  
*litates mutuari*) vel flumini puro, ac  
rapido vicina est; si ex profundis pu-  
teis hauriatur, si enim æstate sit frigi-  
da, hyeme calida, si cælum spectet,  
& aëri libero, à sole illustrato exposi-  
ta sit; solis namquè lumine depura-  
tur, ac ferentur, vitalisque cujusdam  
auræ redditur particeps, si frequentè  
moveatur, & hauriatur; attenuatur  
enim, & minus putreficit, si itaque  
putei saepius expurgentur, undè aquæ  
puriores redduntur, si verò contrarias  
habeat conditiones, illaudabilis cen-  
senda.

Aqua fluvialis plerumque maximâ  
ex parte fontana est, ex fontibus enim  
pluribus confluentibus flumina oriun-  
tut. Aqua autem fluviales cum pu-  
tealibus bonitate certant, aliquando  
camen præferendæ, aliquando postpo-  
nendæ. Bonæ enim sunt eæ, quæ  
dulces, ac limpidæ sunt, & è magnis,

ac rapidis petuntur fluminibus , per laudabiles terras fluunt , & felici cœli aspectu fruuntur.

Aqua ècontrà mala , & insalubris illa dicitur , quæ lutoſa , argilloſa , cruda , gravis , tardè permeans , æstate calida , hyeme frigida , quæ ad septentrionem , & occidentem oritur , & sollem aversum habet. Item aquæ conclusæ sub teclis cœlesti lumine privatæ , & ſitu mucido inquinatae , cloacis , & sterquilinijs vicinæ , virolo ſapore , & odore imbutæ ; item immotæ , quæ nullo , aut exiguo motu cieantur , facile putrefiunt , hinc crassæ , crudæ , & ſæpè malignæ , ac pestilentes fiunt. Ex quorum genere ſunt aquæ stagnantes , & palustres omnium poffimæ , cum non agitentur , putridæ , crassæ , ac pestiferæ exoriuntur. Undè bibentibus eas magna incommoda obveniunt , ventriculus offenditur , viſcera obſtruuntur , humoresquè corrupti puntur , & non raro putridæ , malignæ ,

lignæ , ac pestilentes febres inde eveniunt.

Damnantur, & aquæ nivales, & glaciales , cùm à frigore congelentur, tenuiores partes exhalant, Hinc insigni frigiditate præditæ sunt, quæ frigiditas ventriculum lædit , quævis tamen juvenes aliqui malum nullum percipiunt, ingravescente tamen ætate id agnoscent, & articulorum , nervorum, viscerumquæ morbos tales contrahunt , quos non facilè superant.

Aqua putealis etiam mala, crassa , & gravis dicitur, si nempè prioribus conditionibus contraria sit: undè in visceribus diutius hæret, & obstructiōnum generationem promovet; ex puteis enim aquæ, cùm sint subterraneæ , nec supra terram attolluntur , sed in profundo hærent , atquæ artis tantum beneficio in altum elevantur, & hinc crassæ , & graves.

Aquæ denique fluviales etiam mala sunt, quæ ex pravis , aut stagnantibus,

bus, aut cænōsis, ac turbidis fluvijs  
hauriuntur; vel ex magnis quidem, ac  
currentibus, sed latrinas expurganti-  
bus, fordesquè culinarum, vestium,  
& linteorum recipientibus: quoniam  
flumina, quæ magnarum civitatum  
domus alluunt, multas habent impuri-  
tates admistas, & multos morbos ge-  
nerant, nisi benè attendetur, ut loca  
hauriendæ aquæ destinata supra civi-  
tatem posita sint, ubi aqua civitatis  
fordibus nondùm infecta est. Ea pro-  
feciò aqua lana non est, quæ multas  
fordes secum trahit, & omnes civita-  
tis impuritates abstergit. Propterea  
cura in aquæ fluvialis usu maximè in-  
stituenda, ut in hydrijs per aliquot  
dies asservetur; & sic aliquo tempore  
quiescens terrestres, impuras fæces, ac  
forditates ad fundum deponat. Undè  
non immeritò à Pliniò Lib. 31. c. 3.  
ad omnia aquarum vitia corrigenda,  
imò quamcunquè aquam usui accom-  
modatiorem reddendam commendan-  
tur.

tur decoctio. Ita & multi alij omnem decoctam aquam non decoctâ esse utiliorem sentiunt.

## DISSERTATIO V.

*Unde petuntur vinorum differentia?*

**V**ina olim non ex vitris, sed ex cornibus hauriebantur, hinc Bacchus cornutus fingitur, & patet ex Athenæo lib. 11. Per vinum autem in genere consideratum intelligimus illud, quod principaliter vinum appellari meretur, & quod in locis calidis, aut saltem temperatis, ac in montosis, apricis, & soli perviis (ubi naturalem illum cocturam melius subit) provenit, quod & ex uvis maturis expressum, & in dolio, vel vase ampio probè confectionum est. Illud verò, quod ex uvis immaturis exprimitur, & quod acidum est austерum, vel acerbum vi- ni nomen propriè non meretur, sed potius *Omphacium* appellandum est:

hāc

hac enim ex ratione variæ exsurgunt  
vinorum differentiæ: quæ viribus, ac  
facultatibus inter se variant: Quoni-  
am alia vina dicuntur in primo, alia in  
secundo, alia in tertio gradu calida.  
Hinc in præsenti quæritur, undè petun-  
tur vinorum differentiæ? R. Vinorum  
differentias peti à calore, sapore,  
odore, consistentiâ, ætate, vi, ac fa-  
cultate, loco notabili, ac uvis. A ca-  
lore primò nuncupantur alba, rubra,  
nigra, sive ex atro rubencia, heluola,  
flava, fulva, quædam magis, quædam  
minus talia. à sapore sunt dulcia, acri-  
dula, austera, acerba, amara, acria, in-  
sipida, quæ nullum saporem habent,  
nec non mixta quæ plures in se sapores  
continent. àb odore vocantur fragran-  
tia, inodora, aut injucundum spiran-  
tia odorem, cruda & fœtida. à con-  
sistentiâ tenuia, & crassa, ac media in-  
ter ista. àb ætate nova, recentia, mu-  
stea antiqua, sive annosa, item vina  
media, seu mediæ ætatis. à vi, & fa-  
cultate

cultate potentia, quæ aliæ vinosa, fortia, ac generosa appellantur; item debilia, quæ aquosa sunt, & inter hæc mediæ potentia, ac virtutis; item vina marcida, quorum vis adeò evaporavit, ut & saporem, & odorem, & vires amiserint. à loco notabili sunt ea, quæ vel in montibus, vel in collibus, vel in planicie, eaque vel fluminibus vicina, aut ab illis remota proveniunt. ab uvis iterum sunt duplia, quædam ex urbanis, sive sativis uvis prominant, eaque rursus varia pro varietate locorum, & regionum; nonnulla ex uvis sylvestribus, quæ *labrusca* appellari solent, fiunt, hæc tamen in usu non sunt cibario, sed apud veteres usurpata in medicinalibus, cum adstrictione indiquerint, ut potè in diarrhæâ, vomitione, mensium fluxu immido-  
co &c. Parantur etiam à *Dioscoride*, & nostris Medicis vina medicata ex radicibus, folijs, fructibus, corticibus parata, quorum quædam alteran-

terantia sunt, & roborantia ventriculum, cor, hepar, cerebrum, uterum &c. nonnulla verò purgantia, quibus induuntur cathartica simplicia: *ut Rhabarbarb. agaric. fol. senn. & alia.* Atquæ hæ sunt vinorum tam simplicium, quam compositorum, id est, medicatorum differentiæ.

## DISSERTATIO VI.

*An ex vinorum differentijs desumim  
possit vini bonitas, & malitia?*

**C**ùm variæ sint vinorum differentiæ à propria naturâ, sapore, odore, calore, & ætate deſumptæ, ita etiam variæ deſumentur ab iisdem vires & facultates. Quod autem ex vinorum differentiis deſumatur bonitas, & malitia, demonstrat primò Icholaſſe ſolernitanæ versiculos: *Vina probantur odore,  
calore, sapore, nitore.* Optima autem judicantur vina, quæ calore nonnihil flava ſunt, pura, clara, & pellucida; odore luaveolentia, & fragrantia, sapore ori grata,

grata, ex dulci, acri, & acido quodammodo temperata, ad tactum frigida, ad auditum sonora, seu strepentia quando promuntur, nam quæ sine sonitu funduntur, lenta sunt, ac pendula; Item vina mediæ ætatis, ut scilicet neq; sint novella nondùm proflua defæcata, nequè nimis annosa, quæ caput feriunt, & gravant: Hinc solernitani ad elendum vinum hos fecere versiculos:

*Si bona vina cupis, quinque hac laudantur in illis;*

*Fortia, formosa, fragrantia frigida,*  
*frisca:*

Item:

*Vinum sit clarum, antiquum, subtile,*  
*maturum,*

*Ae bene dilutum, saliens, moderamine*  
*sumptum:*

Ubi per fortia ea vina sunt intelligenda, quæ mediocriter vinosa, non admodum debilia, qualia sunt oligophora, sive paucifera: per frisca inaudienda sunt strepentia, & bullulas citò-tamen

men evanescentes representantia, per antiqua, quæ medium noctis sunt astatem.

Vina itaque dulcia ratione saporis benè nutriunt, & cùm non solum ori, & palato, verùm etiam visceribus sint gratissima, avidè ab iis arripuntur; hæc tamen cùm crassiora sint, obstrunctiones pariunt, hypochondria inflant, flatus generant, & in bilem vertuntur: proslunt autem pulmonibus, nec non faucium, & gutturis asperitatem leniunt: proinde non sunt calida, nec caput tentant, aut nervos feriunt, uti demonstrat Hyppocrates 2. de rat. vici. in ac. t. 2. inquiens: *vinum dulce vino-  
so minus caput gravat, minusquè men-  
tem ferit, atque quovis alio per intestina  
facilius descendit.* liuenem tamen, jecur-  
què tumefacit, & pichrocolis nullo pacto  
est idoneum. Nempe bis-situm facit, supe-  
rius intestinum inflat.

Vina austera, & acerba calorem ha-  
bent debiliorem, in ventre tamen dijū-  
tius

tius permanent, nequè facile venas permeant, & ad vias urinæ penetrant. <sup>tic</sup>  
 Ventris itaque fluxionibus proficiunt, <sup>me</sup>  
 pulmonis verò affectibus officiunt: <sup>tè</sup>  
 Hinc vina media, id est, nec planè dulcia, <sup>ub</sup>  
 nec planè austera, eligenda.

Vina odorata, & fragrantia maximè rii  
 approbanda & optima censenda: quo.  
 niam vires instaurant, spiritus refici. C  
 unt, totum corpus recreant, & exhila- qu  
 rant; Inodora verò mala dicenda; quo.  
 niam ventriculus non ita avidè ap- ci  
 prehendit, nec tam facile concoquit; lia  
 ita nequè talia aptum alimentum, & v  
 spiritibus generandis materiam suppe- m  
 ditant, nequè cordi robur addunt. lu  
 Unde etiam vina alienum aliquem  
 odorem habentia, sive ex corruptio- n  
 ne, sive ex dolijs, sive ex rei alicujus  
 additione prorsus abdicanda.

Ex calore quidem non tam benè de- A  
 vini viribus, & facultatibus judicari  
 potest, quam ex sapore, & odore. a  
 Vina enim alba sunt aquosa, & minus n  
 poten-

potentia ; aliqua generosiora, & potentiora : Hippocrates vini albi vinofisi meminit, nullum vinum album valenter calefacere posse, id ipsum interpretilatur Galen. 3. de vict. rat. in ac. t. 6. ubi tamen experimur contrarium, datur vina albissima trium, quatuor, quinque annorum marvatica inferioris Carnioliae, quae forsan non minus, quam quedam flava calefaciunt. In universum tamen flava magis calefaciunt, uti sunt vina interioris Carnioliae Vippacensia, quae gratum, & suavem odorem, ac saporem habent, quae maximè approbantur, atquè etiam colluntur juxta illud :

*Vippacense merum decus est, & Gloria rerum.*

*Maruinum sumens gustum reparabis ad escam.*

Albis opposita sunt nigra, quae etiam alia magis, alia minus generosa, ea tamen, quae intensiorem habent rubedinem, & quò magis ad nigredinem accedunt,

cedunt, minùs potentia sunt, & quòd crassiora, eò magis obstructionibus generandis idonea; omnium ferè vino-  
rum nigra insaluberrima. Tenuia ve-  
rò meatus aperiunt, sudores, & urinas  
movent, paucioris tamen sunt nutri-  
menti, quàm crassa. Sunt & alia vina,  
quæ inter alba, & nigra media sunt, ful-  
va, flava, heluola, ruffa. Fulva albis pro-  
xima sunt, & si tenuitas substantiæ ac-  
cedat, optima sunt, cordi roborando,  
viribusquè instaurandis aptissima. Ru-  
bra vina plerumquè non adeò mag-  
nam calefaciendi vim habent, nec ita  
caput gravant, si tamen crassioris sint  
substantiæ epati, & lieni propter ob-  
structiones, quas parere possunt, non  
adeò commoda. Inter album, & rub-  
rum medium est heluolum, quod & ip-  
sum non adeò calefacit, nec capiti no-  
cet.

Vina antiqua, quæ ab ortu suo, &  
propriâ naturâ generola sunt, ac plus  
justò calefaciunt, nervos feriunt, & ca-  
put

put lædunt, ac plurimis spiritibus resplent, & inebriant, nec non corpus usu quotidiano emaciant.

Vina ætate media victui sanorum, & ægrorum accommodatissima, quoniam tunc temporis optimè defæcata sunt; ætate enim calor vini sese magis semper exserit, minus efficax est in recenti, magis in mediâ ætate, efficacissimus in annoso.

Vina nova, & recentia, & quæ mustum adhuc dulcedinem habent, non facilè in corpus distribuuntur excrementosa sunt, & fluctuationes in corpore faciunt, aquosiora etiam, & debiliora sunt; indè coctionis difficilis, & diutius in ventre retinentur; ex hâc ratione hypochondria inflant, & distendunt, gravia insomnia excitant, viscera obstruunt, calculum generant, variosquè etiam morbos pariunt.

Quamvis autem varia vinorum genera variis naturis, ac temperiebus magis, vel minus convenient, in univer-

sum tamen eligenda ea, quæ non facile sunt corruptibilia, hinc nequè in corpore erunt corruptioni obnoxia, sunt autem ea, quæ non tantum à locis calidis proferuntur, sed etiam à montosis, apricis, & soli perviis, ibi enim naturalem illam cocturam magis subeunt: Item ut saporem habeant inter dulcem, & austерum medium, ut sint odorata & fragrantia, clara, non nimis tenuia, aut crassa, ad tenuitatem tamen magis accedant, nequè nimis potentia nequè nimis debilia, & sint ætatis mediae.

## DISSERTATIO VII.

*An vinum dicatur calidum, & humidum, an calidum, & siccum?*

**N**on exigua profectio est hæc apud Authores dissertatione; Cùm vini natura, & temperies exquiritur. Calidum esse vinum omnes quidem approbant, sed an calidum sit, & humidum, an vero calidum, & siccum dissentient.

lentiunt. Principium autem hujus contraversiae ex variis authorum sententiis oritur. Nam primò Aristotales problem. 17. secl. 3. vinum calidum & humidum esse deprædicat. Secundò Galen. 3. de caus. puls. cap. ult. Vinum propter humiditatem celeriter nutrire asserit, eoque magis, quia simul calidum, calorem enim ducem humoris nominat. Item 1. de sanit. tuend. cap. 11. Et 5. de sanit. tuenda. cap. 5. vinum pueris alienissimum, senibus vero familiarissimum esse pronuntiat, & non aliam ob causam, quam quod pueros nimis humectet, & copioso repleat halitus; senibus vero esse familiare non solum propter calorem, quem habent debilem, sed etiam propter humiditatem. Docuit etiam Hippoc. 2. aph. 11. facilius posse potu, quam cibo refici. Et in lib. de alim. qui celeri alimenti appositione egent, humidum ipsis optimum colligendis viribus remedium. Et lib. 3. de puls. appositio, quam facit, celeris est; quod

*humidum sit, & calidum.* Item vina dulcia nigra, tenuia, acida humectare asserit 2. de diætâ: quoniam succus uvarum maturarum, ex quo vinum conficitur, calidus est, & humidus teste eodem cit. loc. Quod vinum melancholicis conferat testatur experientia, quoniam humectatione indigent, secundum illud: *quamdiu humectantur, tamdiu curantur.* Hinc & humanæ naturæ, quæ calida, & humida, vinnm ap-  
tissimum esse confirmant omnes Medicinæ proceres.

Qui verò vinum calidum, & siccum esse proferunt, sequentibus probant rationibus. Et Galen. ipse 8. de simpl. med. fac. cap. 13. in *vino* siccitatem caliditati proportione respondere dicit. Id ipsum ex Galeno sumptum demonstrat Pau-  
lus Ægineta Lib. 7. cap. 3. Item Aëtius *vinum* annolum tertio gradu siccum statuit, quia multum in se habet spiritum, qui calidissimus, & siccissimus, ut potè igneæ naturæ, quoniam levissi-  
mus,

mus, subtilissimus, penetratissimus, & facilè inflammabilis; Hinc videmus in ebriosorum faciebus calorem rubicundum, & pustulas præcalidas. Hac ex ratione prodest maximè phlegmaticis, humidam eorum constitutionem alterando, & ad quandam siccitatem deducendo, & quò generosius, eò ad siccandum est efficacius. Undè vulceribus siccando, & abstergendo est utilissimum docente Galeno *lib. 4. method. med. cap. 5.* Oleum è contrà, quod humidum, adversissimum est teste eodem, nam oleum vulcera humectat, & sordida reddit, horum autem cura in exsiccatione consistit. Vinum etiam siccum esse demonstratur ex suis effectibus, quoniam sitim excitat, vigilias inducit, ebriosorum os, linguam, & viscera torret, nec non aliis etiam modis tam ut alimentum, quam ut medicamentum & calefaciendo, & siccando suas prodit vires. Est nonnunquam vinum alimentum medicamentosum.

calidum, & siccum, aliud quidem in primo, aliud in secundo, aliud in tertio gradu *de quibus in seq.*

Nos verò utrorumquè authoritates, & rationes *cum distinctione tamen* veritati consentaneas esse concernimus: Nam vinum actualiter est humidum, quia fluxile est corpus, & suo etiam termino contineri nequit; potentialiter autem, seu virtualiter est siccum. Etiamsi verò Arist. *citat. loc.* vinum humidum esse asseruerit, qui enim tantum de actuali humiditate, non verò de potentiali dicere voluit. Galenum quidem vinum considerare, ut alimentum est, eâ ratione actu humidum est, & propter illam actualem humiditatem celeriter distribuitur, & facile immutatur; verum etiam facile nutrit, & sanguinem, & humidum corpori alendo necessarium auget; licet sæpiissimè contrarium experiamur, quod ii, qui nimio vini usu se delecent, emaciati, & planè tabifici fiant, inde potius

potius sanguinis humiditatem sicciorē reddere concludendum erit. Idem cit. loc. pueris vinum interdicit, senibus verò commendat. Et eandem ob causam, non quod potentialiter, sed actualiter pueros humectet; senes verò non quod humectet, sed quod calorem eorum debilem reficiat, ferocius què humores, quibus abundant, per urinas evacuet; hāc de causā Galenus vinum tenuē, ac flavum senibus datum esse monet. Quod autem vinum humanæ naturæ conveniens sit, nihil contrariatur; vinum enim celeriter nutrit, & spiritus reficit, qui effectus non impediuntur ab exsiccandi vi, quæ valdè moderata est, & ab humanâ temperaturâ non admodum recedit. Vinum melancholicis conferre nemo dubitat, non quatenus humectat, sed quatenus spiritus recreat, cor exhilarat, & lætitiam inducit. Vinum autem acidum, dulce, siyè mustum recens, quod Hippocrates nuncupat succum uvarum

rum maturarum, humidum esse à præ-dominio omnes in unum concedimus, de quo autem hic non fuit men-tio, sed de eo, quod maturum est, & vim calefaciendi, & exsiccandi obtinet, hoc enim calorem nostrum sovet, ac cor roborat, spiritus auget, vires re-ficit, concoctionem promovet, pitui-tam attenuat, bilem per urinas expur-gat, omniumq; excrementorum ex-pulsionem provehit.

Vinum enim in genere considera-tum in activis qualitatibus calidum est, in passivis verò siccum, cum insig-ni tamen differentiâ, ut aliud in primo, aliud in secundo, aliud in tertio gradu calidum sit, & siccum.

## DISSERTATIO VIII.

*An vinum aquæ præferendum,  
vel econtra?*

**S**eam Jurisperitorum legem, & sen-tentiam sequi velimus, quod prius tempore, prius honore, & dignitate; aqua

aqua proculdubio multis locis praecedit: quoniam aqua est antiquissimus tam reliquorum animalium, quam hominum potus frigidus, & humidus, quemadmodum Aristotales *Lib. 2. de animal. cap. 4.* explicat. Aqua fuit ab origine mundi usque ad Noachum unicus omnibus animalibus potus, cui jungebatur victus simplicissimus, & hinc annos suos fermè usque ad milesimum protrahebant. Unde & aliis saeculis, & modò salubrius, & diutius vivunt, qui aquæ potu, & simplicissimò utuntur victu. Sanctus Antonius teste Athanasio, vixit annos 105. ex quibus 90. egit in tremo, solo pane, & aquâ corpus sustentans. Praeceptor Ardii Imperatoris vixit annos 120. quorum 55. vixit in deserto, victu simplicissimo. Sanctus Paulus primus Eremita referente divo Hieronymo in ejus vitâ, ad annos 115. ætatem produxit, ex quibus centum egit in Eremo, quadraginta quidem primos cum paucis da-

Et ylis, & haustu aquæ, reliquos verð, postquam dactyli defecissent, pane di- midio. Et nostri etiam læculi viri quām plurimi in superiori Carniosia reperti ultrà centessimum annum ordinario potu aquæ suam vitam producunt.

Siquidem autem vinum hoc tem-  
pore ita est familiare, ut eo plurima  
quasi pars hominum pro potu ordina-  
rio utatur: Indè etiam mihi licet ratio-  
nibus, & multò magis quotidianâ ex-  
perientiâ convicto, vinum utile, sa-  
num, nec non aquæ præferendum esse  
demonstrare. Vino itaque non solùm  
naturam delectari, sed & coctionem, &  
distributionem ciborum eo magis ad-  
juvari ex diversis ostenditur sententiis.  
Et primò; quod vinum cor hominis  
exhilaret, panis illud roboret, & oleum  
faciei pulchritudinem conciliet, habe-  
tur ex *Psal. 104*. Patriarcha Noe post  
luctum mætorem, summamque animi  
tristitiam, quam in Arcâ diluvii tem-  
pore passus erat, vineam proptereà  
plan-

plantare cæpit, *Genes. cap. 9.* ut ex uvis tanquam vineæ fructibus, vinum sibi pararet, quo animi sui ægritudinem lœtificare posset. Vinum enim, inquit Horatius *lib. 2. Epist.* sollicitis animis onus eximit, indè curæ fugiunt, risus veniunt, & frontis rugæ abeunt. Ita & Sacra Scriptura præcipit, mæstis animis vinum datidum esse, ut exhilarentur, & doloris, quem animo conceperunt, obliviscantur. Hinc Plato *lib. 2. de legibus.* Deus, inquit, vinum hominibus, quasi auxiliare adversus senectutis austoritatem pharmacum largitus est, ut rejuvenescere videantur, & mæstitia nos oblivio capiat, atquè ipse animi habitus mollis è duro factus, ut ferrum igni impositum, tractabilior fiat. Hac autem ratione, & facultate tristitiam depellit, & hilaritatem inducit, quod calorem in corpore excitet, bonum, & laudabilem gignat sanguinem, puros producat spiritus, eos demque restauret, omnes humani corporis meatus referet, ciborum anado-

sim promoteat, digerat, cruditates, quibus abundat, concoquat, nec non totam corporis oëconomiam depurando pervadit: Item somnum conciliat, quod juxta Ovidium est *quies rerum, & pax animi.* *Vinum cura fugit, quod pectora duris fessa ministeriis mulcet, reparas- què laborem.* Molestiis enim, curis, & sollicitudinibus excussis fit, ut hominum animi exhilarentur. Nam sicut aqua homines graves, lentes, tardos, frigidos, languidos, meticulolos, obli- viosos, & ad omnia aëta efficit inuti- les, quia frigore suo vigorem spirituum hebetat, & humiditate cerebrum, & meatus spirituum nimium humectat, vias quoquè eorum angustiores ob- struit, & spiritus torpidos reddit: ita vi- num bona notha moderate sumptum, eos leves, ingeniosos, agiles, alacres, placidos, affabiles, benignos, lætos, tra- stabiles, & in omnibus moderatos per- ficit. Ex eo autem & concoctionem, & distributionem ciborum magis pertici  
ostendit.

ostenditur: quoniam ventriculi calorem fovet, spiritus auget, & instaurat, digerit, concoquit, pituitam attenuat, bilem per urinas evacuat, humiditates excrementitias ablumit, & exsiccat, & excrementa superflua expellit.

Cùm itaque vinum bona nothe moderatè sumptum has vires habeat, ut tollat ea, quæ corporis actiones impediunt: uti sunt nimia cerebri humiditas, obstructio, rerumque oblivio, ventriculi indigestio, languor, & gravitas corporis, humor melancholicus corpus occupans, & alia. Et suppeditet ea, quæ faciles, & jucundas corporis functiones efficiunt, & corpori ad omnia acta utilia reddunt, uti sunt levitas, agilitas, liberalitas, humanitas, affabilitas, intellectus vivax, memoria tenax, motus expediti, actiones promptæ, & faciles &c. Unde merito, si valetudinis recta habeatur ratio, vino abquæ ullæ controversiâ primæ partes dandæ sunt.

DIS.

DISSE

# DISSERTATIO IX.

*An vini potus sitim magis sedet,  
an aquæ?*

**P**otus in genere necessarius est ad restaurandam humiditatem, quæ à calore nativo indesinenter absumitur, ac dissipatur; potus autem ille quatenus humidus id præstat: si autem humiditati juncta esset caliditas, illa plurimum humiditatis resolutionem adjuvaret; ideo communis est omnium hominum instinctus, ut frigidum potum appetant etiam hyemis tempore, ad calorem illum internum temperandum, & humidi dissipationem remorandam: licet ex Historijs constet Romanos potatores calidi avidos fuisse, undē tot erant Romæ Thermopolia, Regnante Claudio Cæsare, attamen nullum aliud animal præter hominem calidum potum appetit, quoniam melior est potus frigidus,

dus, quam calidus afferente Balthasare pisanello, & alijs. Hac ergo ex ratione quæritur, an vini potus sitim magis sedet, an aquæ, cùm vinum sit calidum, & siccum, aqua verò frigida, & humida? Respondeo ratione consonare videri, aquam sitim magis sedare, cùm ex Aristotale Lib. 2. de animal cap. 4. *situs sit appetitus frigidi, & humidi;* quāmvis vinum, quod actualiter est frigidum, & humidum, sitim compensat; potentialiter verò, sive virtualiter, cùm sit calidum, & siccum, id praestare nequit, sed potius suâ calefacienti, & exsiccandi virtute sitim excitat, præsertim quod generosius est. Sequitur ergo vinum tantum actualiter; aquam verò & actualiter, & potentia-liter sitim tollere posse.

Obijci potest, Aquam ob densius subjectum ad loca distantiora, uti vi-num suâ tenuitate, & penetrabilitate deduci non posse, & consequenter neque ad restaurandam humiditatem  
quæ

quæ à calore naturali in dies absolumi-  
tur, ac dissipatur, nequè ad sitim se-  
dandam conducibilem esse: quâ ra-  
tione aquam vino diluere oportere,  
ut vinū aquæ sit quasi quoddam vehi-  
culum, quo angustiores corporis mea-  
tus facilius permeare possit?

Respondeo, quod aqua, si sit bona  
nothæ, hoc est, Limpida, pura, clara,  
simplex, omnisquè alienæ qualitatis  
expers, tantum habet virium, ut cau-  
sam sitis distantiorē à ventriculo ex-  
stinguere queat. Quò causa autem est  
efficacior, & potentior, eò etiam ope-  
ratio illius est major, & per conse-  
quens etiam aquæ simplicis, & imper-  
mixtæ: si verò vinum illi sit admix-  
tum, frigiditas aquæ à vini calore re-  
tunditur, ut non ita efficacitè siti ad-  
verletur, quæ ad sui ablationem, non  
calorem, sed omnino frigiditatem po-  
stulat.

Ex quo etiam malè faciunt ij, qui  
diversos potus miscent: nam ubi adeat

varie-

varietas, illud, quod magis gratum est,  
a viceribus intempestivè rapitur, no-  
xiosquè, & crudos secum adducit hu-  
mores, undè generantur obstructio-  
nes: hinc alij miscent cum vino cere-  
visiam, alij vinum cum aquâ coctâ,  
crudâ &c. Aëtius, vinum dum exhi-  
bet, Paucum, syncerum, fuluum, ac  
subtile propinat, si tamen illud aquâ  
chalybeata temperare lubeat, fiat lon-  
go, antequam bibatur, tempore, ut  
aqua à vino subigatur: Et verùm, si  
vino *prædictæ notæ* aquæ paululum af-  
fuderis, gratum ejus calorem per uni-  
versum corpus illicò persenties; non  
tamen nimùm hebetanda vini dulce-  
do; nam aliàs cedit in fastidium; deìn  
pugna illa vini, & aquæ à contrarijs  
eorum qualitatibus sensibili stomacho  
non levem infert noxam, hinc diu, *ut*  
*dictum est*, antè diluendum est vinum  
ad noxam hanc declinandam: proindè  
vina dulcia, quæ ob majorem, & a-  
vidiorem stomachi amplexum diffici-  
lius

lius transeunt, minimè diluenda esse, refert Paulus de Sorbait. *Institut. medic. Isagog. part. 4. cap. 7.*

## DISSERTATIO X.

*An vinum in alimentorum Genere  
habeatur?*

**H**ieronyinus Mercurialis, vir alias doctissimus, & de posteritate optimè meritus peculiari libello vinum non nutrire, ac alere asserit, huic tamen sententiae plurimorum hominum solo quasi vini potu per longum tempus viventium experientia apertissimè contrariatur. Sunt & quidem Medici, qui vinum alere minimè diffitentur, id tamen alimentum appellare renuunt, ex eo, quod potus in sermone quotidiano cibo opponatur, quoniam potus etiam cibus, esca, & edulium dicitur; ast sufficit, si admittant vinum alere, necesse est, ut admissent etiam alimentum esse, nisi contradictoria sibi statuere velint.

Quod

Quod autem vinum revera sit ali-  
mentum , tota ferè Medicorum Scho-  
la docet , estquè doctrina ista experien-  
tiæ , & rationi consentanea . Nam  
Galen. Lib. 3. de alim. fac. cap. 40.  
omnes enim Medicos fateri vinum ex  
illarum rerum esse numero , quâ no-  
strum corpus alunt , indè & in alimen-  
torum genere reponendum èsse , quod  
& Hyppocrates in lib. 2. aph. 21. de-  
clarat : famem thorexis soluit . id est :

*Efuriem vini generosi potio soluit.*

Ego ipse met plurimos novi , qui omne  
cibum in summo horrore habebant , & lo-  
lo vini potu se se sustentabant : vinum  
enim famem sedat , & corpus totum ro-  
borat , facitquè , ut animalia pinguiora  
reddantur , uti Aristot. lib. de anim. cap.  
7. Bovestùm rebus alijs , tùm etiam vi-  
no pinguescere demonstrat : & est ratio-  
ni consentaneū , quod vinum nutriat ;  
quoniam vinum ex uvis paratur , uva  
autem magis , quam alios fructus nu-  
trire planum facit Galenus , tùm ho-  
minum ,

minum, tūm brutorum exemplo. Prī-  
mò Lib. 2. de alim. fac. cap. 9. refert  
vinearum custodes suā in patriā duos  
menses lolis uvis, & ficubus cum mo-  
dico pane vesci, & corpulentos admo-  
dūm hoc victu evadere. Secundò de-  
scribit libro eodem cap. 2. quòd ve-  
natores carnibus vulpis in autumno  
utantur; ij verò, vulpes tunc tempo-  
ris uvis & pinguiores, & lapidiores fie-  
ri, enarrant. Hinc desumendum, si  
uvæ nutriant, quid nī & vinum, suc-  
cus earum expressus, ac deīn cùm vi-  
num vertatur in sanguinem, maxi-  
mè verò, quod rubrum est, & crassio-  
ris substantiæ; quia exiguum requirit  
mutationem, generando sanguini est  
aptissimum; sanguis verò est com-  
mune nostri corporis pabulum, quod  
igitur est materia materiæ, id quoquè  
est materia materiati.

Est ergò vinum ex eo alimentorum  
genere, uti declarat Sennert. in institut.  
Med. lib. 4. part. I. cap. 4. quæ non lo-  
cum

lum quantitatem sanguinis augent, sed prætereà qualitates aliquo modo mutant. Siquidem, si à temperato bibatur, calidum, & siccum sanguinem reddit; si à calido, & sicco temperiem illam augebit; si à frigido, & humido mutabit illam temperiem.

## DISSERTATIO XI.

*An varia cerevisiae, mulæ virtus,  
Et qualitas?*

Cerealis potus ab arte, non à natura proveniens est cerevisia, quâsi cerneris vis, quia in eâ frugum vis dominatur, quæ vel ob vini carentiam, vel ob voluptatem in usum venit. Cerevisia enim nihil aliud est, quam aqua vel hordei, vel tritici, vel lupuli viribus imprægnata, quæ ab aliquibus uti in lib. i. epigram. Græc. exstat, vinum ex hordeo nominari solet. Nam cerevisia non minùs, quam vinum inebriat, quoniam ex eâ spiritus calidissimus elici potest: uti scribit Aristotales

vini

vini potu ebrios in faciem cadere pronus,  
ac resupinari cerevisia inebriatos. Quia  
nemp̄ cerevisiae potus aliquid in se so-  
potiferum habet.

Verū autem de cerevisiae naturā  
in genere non multū dici potest, cūm  
tām magna sit cerevisiarum differen-  
tia, quoniam alia ex tritico, alia ex hor-  
deo; aliae ex tritico, & hordeo  
mixtis coquuntur; in nonnullis fru-  
mentum ad ignem torretur, in aliis so-  
lūm æstivo calore exsiccatur: alii plus,  
alii minus frumenti, vel lupuli accipi-  
unt; alii recentem, & quasi tempora-  
riam, alii non nisi defæcatam bibunt.  
Variat & cerevisiam aquarum, è qui-  
bus coquitur, diversitas, & coquendi,  
ac parandi modus. Quæ omnia non  
pauciores cerevisiae, quam vini diffe-  
rentias, & facultates constituunt, atquè  
inde varii prodeunt variarum cerevi-  
siarum effectus: quoniam aliæ magis  
nutriunt, & humectant, aliæ minus,  
nonnullæ urinas cident, aliæ alvum la-  
xant,

xant, aliæ obſtructiones pariunt, aliæ flatuſignunt.

Cereviſia autem vim nutriendi vel à tritico, vel ab hordeo habet, quæ in aquam, in quâ coquuntur, omnem ſubſtantiam alimentalem deponunt, ut nihil niſi glumæ relinquantur, durabilitatem verò in primis à lupulo accipit, cujus vi evanuit, & iſla corrumptur; hinc vi lupuli, & diuturnitate temporis vini fermè calorem adiſcitur, quæ ad quatuor, & plures annos aſſervata, cum vino ſuā genitofitatem certat.

Ex tritico cereviſia cocta reliquis præferredenda, quoniam plūs nutrit, quam quæ ex hordeo, atque etiam plūs calefacit, & humectat, tenuium enim est partium, nec tamdiu in præcordiis hæret, præcipue ſi debita lupuli quantitas iuggeratur: hic ſiquidem, priꝝ reliquis, ſuccum melancholicum ducere, & ſanguinem mundare creditur. Cùm autem triticum viſcidiorē ſuccum

habeat, quām hordeum, etiam cerevisia triticea succum vīcidiōrem generat, facilius obstrūctiones parit, in primis si non satis sit defæcata, urinam non ita cīet, sēd alvum laxat.

Hordeacea per se minus calida, quoniam hordeum frigidum est, tamen ex maceratione, & fermentatione, deindē ex tostione, atquē in primis ex lupulo addito non parvam calefaciēndi, præcipuē verò siccandi vim acquirit; minus autem nutrit, secumquē præbet tenuiorem. Quæ verò ex tritico, & hordeo mistis coquitur, mistam habet naturam. Quæ ex frumento non tosto, sed saltem calore solis siccato coquitur, plus humoris excrementitii obtinet, & non raro obstrūctiones in venis angustioribus parit. Quò verò plus lupuli additur, eò plus siccatur, sed ferè minus nutrit, non facile obstruit, urinasquē magis moveat. Recens omnium insaluberrima, in primis si turbida sit, censenda: nam

ea meatus obstruit &c. maximè verà colicis, & calculosis officit. Item cerevisia, quæ non satis cocta, est plena flatibus, & cùm sit dulcis, facile calefcit, vel tormina excitat. Aut si cerevisiæ residuæ in vasis fermè acetosæ iterum alia cerevisia reaffunditur, *quod est nequissimum*, maximè improbanda: hæc siquidem & stomacho, & toti nervoso generi maxime nocet. Proinde à cerevisiâ nimiùm lupulatâ, qui memoriae, & capiti consultum cupit, abstineat, à quâ capitum stupor, & ebrietas malorum omnium parens exoritur. Jason pratensis Zelandus Medicus doctissimus scriptum reliquit cerevisiam nimis lupulatam à gravidâ bibitam fætui epilepsiam, vel animi stoliditatem inferre, adeoque non mirum, si hæ cerevisiæ non parum sanitati obsint, & infinita mala inferant. At è contra DEUS Opt. Max. ex benignitate suâ nobis ita de optimo tâm interioris, quâm inferioris Carnioliae Vino piovidit,

ut mihi illud meritò repetere licet:  
ceat:

*Vippacense Merum decus est, & Gloria  
verum.*

*Marvinum sumens gustum reparabis  
ad escam.*

Paratur & aqua melle temperata additis aliquando aromatibus, quam alii mulsum, sive hydromel, alii medonem nominant. De ejusdem autem qualitatibus vix quæquam dici possunt, cum tam magna sit earundem diversitas: nam alia est meraca, alia diluta, alia cocta, alia cruda, alia cum, alia sine aromatibus. Meraca plurimum habet melis, parum aquæ, diluta est contraria. Cocta est illa, cui inter coquendum spuma est ablata, cruda autem fit per insolationem, prior est sanitati multò convenientior. Vini proinde non solum saporem, sed & calefaciendi, atque inebriandi vim habet, ut cum præstansissimis quibusque vinis certare posset, imo & citius inebriat, ac plerumque plus

plus calefacit , & siccatur , quam vinum , non solum ob mel , sed & ob aromata addita . Multa juvenibus , & biliosis non convenit ; item Hypochondriacis , quia in illis bilem , in his obstructiones generat ; senibus itaque tussiculosis , anhe-losis , & plurima phlegmata habentibus præscribenda est .

## DISSERTATIO XII.

*An potus aquæ, vini, cerevisiæ &c.  
nive, aut glacie refrigeratus laudan-  
dus, aut improbandus?*

**P**onderosa est hæc inquisitio . Nam plurimi potum glacie refrigeratum approbant ; plurimi eundem improbant ; & utrorum rationes , ac ex-perimenta probant efficacitèr . Ac pri-ma ratio eorum , qui potum glacie re-frigeratum approbant , ex eo desumi-tur , quod calor noster nativus à duo-bus validis , & potentissimis hostibus oppugnari , & extingui consueverit ; ut potè frigore extinguente , & calore

dissipante. Sic in vehementissimo aestatis ardore corpora languida, & effeta redduntur ab aestuante aere partes corporis veluti inflammante, earumque calorem exsolvente; quae autem exsolutione impediri non potest, nisi refrigerantibus assumptis, & admotis; unde ad fervorem illum corporis temperandum potus frigidus assumptus maximè valebit. Hinc frigidissimum potum aestatis tempore usurpatum maximè conferre infinitorum hominum constat testimoniiis, qui se à plurimis incommodis potu glacie refrigerato liberatos esse testantur. Imo testantur Autores, ab illo tempore, quo illi ex Italia, Hispania, Siciliâ Oriundi potu glaciato utuntur, à febribus ardentibus, continuis, malignis magis immunes esse. Dicitum etiam est *in dissertat. 8. de potu*, quod potus frigidus præferatur calido, ergo potus glacie refrigeratus maxime approbandus.


*Ex alterâ vero parte poros iste ad-*  
*modum*

modum frigidus, in genere consideratus, damnandus absolutè videtur juxta sententiam Hypocratis *aphor. 51.* sect. 2. plurimum, atquè repente evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel alio quovis modo corpus movere, periculosem. Omne enim nimium naturæ inimicum, sed quod paulatim fit, tutum est. Cùm igitur in magno æstatis ardore corpus plurimum æstuat; periculosem esse videtur, illud subito, & drepente glaciali illo potu refrigerare, præcipue verò ventriculum lædere, qui est omnium quasi morborum origo. Unde & Nos hujus posterioris sententiæ rationibus fidem facimus: nam plurimum, atquè repente refrigerare, vel calefacere periculosem. Omne enim violentum naturæ inimicum, sed quod paulatim fit, tutum est. Quod autem Itali, Hispani glacialis potus usu à febris ardentibus magis immunes esse soleant, sciendum est illos esse in Italia, Hispaniâ, nos verò in Germaniâ: ibi

enim rarī corporibus ejusmodi potū conciliatur densitas, hic autem densis à frigore corporibus densitate opus non est. Unde hunc potum calidarum Regionum incolis, robustis, iuvenili ætate constitutis & calidiori temperamento præditis, pravis tamen humoribus vacuis, ac viscera omnia valida, & robusta habentibus duntaxat, non imbecillibus, in senili, aut puerili ætate constitutis, debilia, vel obstructa habentibus viscera, pituitoso, ac melan-cholico temperamento præditis, otiosis, concedendum existimamus. Itaque cùm sitis sit appetentia frigidi & humidí ex Arist. cit. loc. potum moderatè frigidum ex cellā subterraneā, & puteis profundissimis, ut æstus corporis, vires dejiciens, temperetur, bilisqñæ æstivi caloris soboles diluatur, consulimus. Cùm igitur tot circumstantiæ requirantur ad hujusmodi potum, impunè usurpandum, & illæ in paucissimis hominibus reperiantur, satius est, ab eo absti-

abstinere, & potu mediocriter frigido,  
uti ex cellis subterraneis adferri solet,  
uti, qui ad sanitatem conservandam  
sufficere potest.

At vero, quid faciendum in tali ca-  
su, si quis in conviviis, aut aliis locis ta-  
li potu uti cogatur, & alio potū genero  
planè destitutus? Videndum enim est,  
ut antè omnem talem potum pluri-  
mos cibos ingerat, eosquè calidiores:  
*ut offam calidam, salsa & piperata &c.*  
quibus excalefactus ventriculus vehe-  
menti potū frigiditati melius resistit:  
mox potum assumat paucissimum:  
nam vinum non tantum frigus conci-  
pit, ut aqua, ac promptius incalescit in  
ventriculo; atquè ut siti omnino satis-  
fiat, potuum singulorum paucitas fre-  
quentia compensetur: sic enim potū  
illius frigidioris noxa saltem majori  
parte evitari poterit.



## DISSERTATIO XIII.

*An vinum cuivis ætati, & comple-  
xioni congruum?*

**E**T si vinum aquæ præferendum es-  
te probatum fuerit, omnibus ta-  
men id non esse congruum de-  
monstrat Galenus I. *de sanit. tuend.*  
*cap. 9.* Ac primò vinum infantibus, &  
pueris non esse concedendum scribit  
Plato 2. *de legibus.* Itaque lege sancimus,  
ut puer usque ad annum duodevigessi-  
num vini usum prorsus ignoret. Non  
enim oportet ignem in corpus, atque  
animam suggestere, antequam viri effecti  
laborem subire incipiat. Furiosum nam-  
què habitum juventutis cavere oportet.  
Hinc autem vinum pueris noxiū  
est, cùm eorum corpora multo ca-  
lore prædita sint, vinum verò calorem  
auget, undè ignem igni addere non o-  
portet; Præterea & caput eorum mul-  
to halitu replet: mollis autem, & rara  
est

est eorum substantia , quæ faciliter nego-  
tio dissolvitur , & incrementum ab in-  
ductâ siccitate prohibetur. Secundò  
corporibus biliosis vini potentioris ,  
ac generosioris usus maximè noxius :  
quoniam habitum eorum , uti Plato  
demonstrat *cit. loc.* valde ardentem ,  
& furiosum efficit ; Et eos etiam ad  
iram , & libidinem præcipitare Galenus  
explicat *4. de sanit. tuend.* Hinc idem  
*cit. loc.* calidis & siccis naturis , præci-  
puè grassante pestilentia eò , quòd san-  
guinem adurant , & corpus indè red-  
dant cacochymicum , vina vetusta , &  
solitò fortiora prohibet : non tamen ea  
bibenda esse putas , velim , quæ antiqui-  
tate in vappam abièrunt : quoniam ta-  
lia laudabilem vini succum perdide-  
runt ; hinc potius suā injucunditate  
stomachum perturbant. Ast modicè  
diluta , seu leviora , quæ non tantum ,  
corpus exæstuant , nequè caput petunt ,  
& inebriant. Marsilius Lib. *de vitâ pro-  
ducendâ* sic statuit , vinū , quo uti veli-

mus, tam potens esse debere, ut integrō triennio perdurare possit. Hinc corruptibilia vina maximē improbanda. Proinde etiam Nutricibus vini potus interdicitur: quoniam calore, & siccitate lactis copiæ generandæ nocet. Tandem febricitantibus, epilepticis, phreniticis, maniacis, catharrhosis, & præsertim iis, qui matutino tempore, illud ingurgitant, noxiōsissimum esse statuitur: quoniam tales fiunt arthritici, podagrici, hydropici, defluxionibus obnoxii, tremuli, paralytici, apoplectici, epileptici &c. calidos enim morbos suo calore adauget, eoquè magis, quò fuerit generosius, & potentius; frigidos autem gignit non quidem per se, sed per accidens, & intercedente causâ aliâ, calorem enim nativum obruit, & quasi suffocat, nec non corporis exhaustit succos, animique vigorem opprimit, ingenium strangulat, atquè necat.

Secūs verò senibus vinum aptissimum

mum esse docet Galenus s. de sanit.  
tuend. cap. 5. & ideo lac senum nomi-  
nari solet. Suo itaque calore senum  
frigiditatem minuit, debilem conco-  
ctionem, & tardam emendat: quia  
calorem sovet; phlegmata, & cruditi-  
tates, quorum lenes sunt feraces, con-  
sumit; naturam eorum, quæ infir-  
ma, roborat; Spiritus reparat, atque  
instaurat, qui in senibus deficere in-  
cipiunt; Sanguinem generat; & proin  
senibus pabulum utile, ac salutare  
præbet; ac tandem eis colorem me-  
liorem inducit, qui ut plurimum ob  
caloris paupertatem, sanguinis pau-  
citatem, spirituum defectum pallidi  
sunt, & decolores, tristes, & moro-  
si; hinc somnum ipsis conciliat, & hi-  
lariores, alacrioresque reddit. Quod  
quidem à Platone disertè traditum est  
2. de legibus. D E U S , inquit , vi-  
num hominibus , quasi auxiliare adver-  
sus senectutis austерitatem pharmacum  
largitus est , ut rejuvenescere videantur ,

& mestitia nos oblivio capiat, atquè ipse boniinis habitus mollis è duro factus, ut ferrum igni impositum, tractabilior fiat. Quoniam lœtitia, alacritas, humanitas, vividus, ac color floridus à sanguinis bonitate, spirituum puritate, & caloris robore, atquè abundantia proficiscitur. Videndum tamen, nè nimia assumatur ejus copia, aliàs facilè suffocatur exignus illorum calor, vel dissipatur. Vinum itaque bona notha eligendum; ut potè naturæ calidioris, tenue, fragrans, sapore bono, ætate medium, colore fulvum, aut flavum; crassa verò, quæ obstrunctiones pariunt, aut vim adstringendi habent, aut urinas intercipiunt, lenibus non conveniunt. Nam hi sunt irrefragabilis fundamenti canones: nempè ut senes, & naturâ debiliores, & melancholici vina resnuant crassa, rubra, recentia, non defæcata, sed & ætate, & naturâ calidiora feligant. Ex eo autem vi-

num confert melancholicis : quoni-  
am spiritus recreat, cor exhilarat, &  
lætitiam inducit. Notissimum etiam  
est vinum corporibus phlegmaticis,  
& humidis ob siccitatem ; frigidis,  
ac frigidâ ventriculi intemperie præ-  
ditis ob caliditatem prodeesse. In uni-  
versum enim, quò majus fuerit frigus,  
vel ab ætate, naturâ, temperamento,  
sexu, tempore regionibus, eò tutius  
vinum potentius, & generosius  
conceditur.



DISSESSATI  
O. LIB. 14. TIT. 1. DE VINUM. CAP. 1. DE VINUM.

## DISSERTATIO XIV.

*An vinum in albo medicamentorum  
reponi valeat , & an idem sit condi-  
mentum, & alimenti vehicu-  
lum.*

**V**INUM ALIMENTUM ESSE ex Galeno lib. 3. de aliment. fac. cap. 40. demonstatum fuit , quod autem medicamenti rationem habeat, exinde liquet; quoniam calefacit, siccatur, abstergit, putredinem arcet, obstructa aperit, in lypothymiam lapsos recreat, humores pituitosos attenuat, flatus discutit, cum linteraminiibus calidis affrictum impetiginem, lentiginem, uno verbo suggillata detinet. Id ipsum Galenus lib. 4. method. med. cap. 5. vulneribus, & vulceribus, quæ exsiccatione opus habent, vinum utilissimum esse docet , illud enim putrefactare impedit, & qualita-

te suâ siccatoriâ superfluos humores absorbet. Costaeus referente Lazaro Riverio vini calidi usum in sequentem modum deprædicat. *In potu ordinario vinum calidum ebibitum ventriculi imbecillitatem corrigit.* Non infrequens enim est eorum observatio, qui cum ventris flatibus, doloribusquè ob malam coctionem perpetuò torquerentur, ubi calido potu vini uti cœpere, omni prorsùs ejusmodi molestiâ soluti, meliarem multos jam annos vitam vivunt. Hypocrates 6. aph. 31. vini potum in ophthalmia convenire his verbis tradidit; *Dolores oculorum vini potio, aut balneum, aut fomentum, aut veneseccio, aut medicamentum, epotum solvit.* Ita Galenus in commentario hujus aphorismi sic habet: vini autem meracioris potio utilis est, in quibus sanguinis copia crassioris in oculorum venis continetur, sine plethoricâ in toto corpore dispositione, quia sanguinem illum crassiorem liquat, fundit, ac discu-

discutit, tūm etiam obstrunctiones apert. Lazarus Riverius *in prax. med. lib. IX. cap. 2.* vinum meracum latis copiose sumptum famem caninam potentissime resolvere ex Hyppocr. 2. *aph. 21.* ostendit, idquè potentius adhuc præstat illius spiritus, *aqua vita* vulgo nuncupatus. Ac tandem vinum omnium cardiacorum potentissimum: quoniam solus vini odor vires admodum recreat, & multò magis frustum panis assatum in vino odooro maceratum, ac naribus oblatum in lipothymiam lapsis confert. Non minorem etiam febrem quartanam curandi, obstrunctiones contumaces solvendi, aliosquè ab humore crasso, viscido, phlegmatico, frigido, melancholico exortos affectus attenuandi, & incendi vim habet moderatè sumpta *vinibone nothae* potio, de quâ fusius conscribunt practici.

Vinum alimenti quoquè condimentum dici meretur: quoniam varia

ria ferculorum genera sapidiora, & palato gratiiora reddere valet, uti condimenta alia, qualia sunt aromata. Videlicet tamen, nè cum contrariis misceatur alimentorum facultatibus: uti v. g. vinum cum lacte, quod copiosè, saepiusque ingestum, afferente Aristotale, est gravissimorum malorum causa; nempe ob diversas qualitates. Vinum enim facilis est distributionis; lac verò difficilis: ob eandem rationem potus cerevisiae crassæ cum vino mixtus est summè noxius.

Præterea vinum & alimenti vehiculum dicitur: quoniam tenue est, subtile, penetrabile; ideoquè venas aperiendo, & sanguinem attenuando non minus, ac serosus humor alimenti vehiculum nuncupari potest.



DISSE

## DISSERTATIO XV.

*An præcipua, & maximè necessaria sit in aëre, cibo, & potu sanitatis conservandæ ratio?*

**V**erùmenim præsentis sanitatis conservandæ ratio, quæ *Hygie-*  
*ne* nuncupari solet, consistit in administratione rerum sex non natu-  
 ralium, quæ sunt *aër ambiens*, *cibus*, &  
*potus*, *somnus*, & *vigilia*, *motus*, & *qui-*  
*es*, *excreta*, & *retenta*, *animi pathema-*  
*ta*, præcipuam autem, & magis ne-  
 cessariam esse rationem in aëre, cibo,  
 & potu, quòd majoris sint momenti,  
 & multò plura in ijs consideranda ve-  
 niant, ex eo patet: quoniam corpus  
 nostrum ex triplici conflatum est sub-  
 stantiâ: nempè spirituosa, solidâ, &  
 & humidâ; Id autem in perpetuo est  
 fluore; hinc, nè dissolvatur, atquè  
 interitum intempestivè properet, ali-  
 quid in locum ejus, quod absum-  
 ptum

ptum, in dies reponendum est. Aëre  
ergò, cibo, & potu opus est; aëre  
quidèm occulto vitæ nostræ cibo per-  
nares, os, & arterias attracto, ut quo-  
tidiana spiritibus, qui dissipantur,  
suppeditetur refectio; cibo, quo,  
quidquid solidioris corporis texturae  
absumptum est, reparetur, ac robo-  
retur; ac tandem potu humida instau-  
retur substantia. Aér enim ambiens  
benè temperatus omnes corporis fun-  
ctiones recreat; Recta verò, & benè  
instituta cibi, & potū Ratio corpus  
bonis replet humoribus, morbos pel-  
lit, corpus agile, sanum, purum, à  
fætore, ac fæditate alienum præstat,  
somnos quietos, & placidos inducit,  
ac tandem vitam in columem in ex-  
tremam senectutem perducit. Econ-  
trà intemperatus aér easdem corporis  
functiones insigniter lædit; ita & in-  
ordinata, ac immoda cibi, & potū  
ratat ventrem suo gravat pondere,  
corpus fætidum, olidum, fôrdidum,  
muco,

muco, & excrementis plenum reddit, sanitatem destruit, moibos introducit, & tandem inscientibus mors obrepit. Aér itaque ambiens, qui prout causa communissima est, ita morbi communes ab illius vitio utplurimum exoriri solent; cibus & potus verò prout sunt vera nutritionis objecta, sic vera sunt instrumenta, quibus vires conservantur, reliquæ verò res non naturales sunt tantum causæ adjuvantes, quæ benè, vel male dispositæ faciunt, ut nutritio ex alimento melius, aut pejus procedat.

Verūm sinuosum, atquè inextricabilem labyrinthum cùm in gressus esset Theseus, extricare se ex dubijs viarum mæandris, & innumeris ambagibus, imminentiaque ab immanissimo monstro Minotauro pericula evitare nunquam potuisset, nisi Ariadne Minois Regis Cretæ filia filum instar globi involutum dono ipsi obtulisset, cujus beneficio remeare noverat, quas i've-

rat

rat vias. Et nos vastum Hygiene, seu dissertationum philosophico. Medicarum Labyrinthum ingressi varijs ambagibus contortum, nec ulla etiā lemita nobis tuta visa fuisset, omnia suspecta, si eundem sine methodo tuendæ sanitatis, *cujus finis est conservatio*, introivissemus. Hac ergo, seu filo Ariadnæ confisi non solum ad sanitatem, sed etiam longævitatem, ac ad extremam senectutem pervenire facile poterimus. Hac veluti pyxide nauticâ instructi navigandum est hoc æquor; & sanè Syrtes, infamesquè scopulos devitabimus, nec à desiderato aberrabimus portu.

Aquæ hæc de aëre cibo, & potu, quatenus sanitatem conservare, vel morbos inducere solent, dicta sufficiant; quæ licet pauca, ac modica appareant: attamen ea perspicue demonstrantur; quomodo ijs utendum sit ad sanitatem tuendam. Verum multum adhuc restat operis, multum refta-

restabit, nec ulli nato post mille saecula  
 la præcludetur aliquid adhuc ad ijcien-  
 di occasio. Exiguum tamen hoc opu-  
 sculum tibi, LECTOR BENEVOLE, DEI  
 Ter. Optimi Maximi gratiæ acquiren-  
 dæ, conservandæ bonæ conscientiæ,  
 & corporis valetudini in multam an-  
 norum seriem apprimè serviturum,  
 perspectissimum esse medullitùs  
 opto.

F I N I S.



I N.



## INDEX VERBORUM.

### A.

<b>A</b>	Bortum præcaventia	Fol. 178
	Abstinentia lethifera	199
	Abstinentia plurimos curat morbos	194
	Adolescentum victus	170
	Aér quid	1
	Aéris qualitates	3
	Aér humidior est aquā	4
	Aér à quibus causis mutetur	5
	Aér necessarius est	6
	Aér quot modis corpus nostrum affi- ciat	ibid.
	Aéris usus & finis	7
	Aéris inspirati major vis	8
	Aér calidior cur difficultē inspiretur	9
	Aér quis optimus & saluberrimus	11
	Aéris temperati conditiones	12
	Aér quis pessimus, & maximè noxius	ibid.

N

Aér

# *Index*

Aér humidus hydropticis noxius	16
Aér humidus phthysicis salubris	ibid.
Aëris regiones quot, quantæ, & quales	ibid.
Aér quomodò putrefacat	25
Aëris in primis qualitatibus excessus, quomodo sit causa febris pestilentis	27. & 28
Aér quomodò temperandus	31. & 36
Aér quomodo alteretur ab influxu sy- derum	48
Aëre ad quid corpus humanum utatur	212. & 277
Aér omnium morborum causa com- munissima	77. & 278
Ægrorum victus ratio	132
Æquinoctalia puncta quot	57
Æstatis temperamentum	61
Æstatis victus	181
Æstas quando incipiat	58
Æstas senibus proficia	176
Ætatum temperamenta	168
Alimentum quid	83
Alimentum differt à cibo	84
	Alimen-

## *Verborum.*

Alimenta unde defumantur	92
Alimenta liquida cur prius ingerenda	110
Alimenta medicamentosa	90
Alimenta fætum confortantia	178
Amygdalarum dulcium elus	ibid.
Anhelitus quando calidus, quando fri- gidus	10
Anni tempora, quas aëris mutationes secum importent	57
Annis tempora non in omnibus Regio- nibus æqualia	59
Apoplexiarum principium	81
Appetita à gravidis non deneganda	178
Appetitus necessarius	140
Aquæ qualitates	210
Aqua est antiquissimus potus	243
Aquæ optimæ conditiones	218
Aqua pluvialis post fontanam optima	220
Aqua mala quibus signis agnoscitur	223
Aqua stagnans & palustris omnium pessima	223 N 2 Aqua

# *Index*

Aqua melle temperata	260
Aquam ante pastum quibus liceat bibere	116
Aqua post pastum bibita quid efficiat	117
Aqua sitim magis sedat, quam vinum	249
Aquæ potus glacie refrigeratus noxius	263
Argentum vivum quid afficiat	90
Aromatum usus prægnantibus noxius	178
Arteriæ moventur cum suo principio	7
Astrorum actiones	54
Aura verna gratissima	13
Austri venti proprietates	42
Auster cur dicatur plumbeus	81
Austrina constitutio febrium pestilentium,& putridarum causa	27
Autumnī temperamentum	62
Autumnus quando incipiat	58
Autumni viclus	182
Autumnus morborum ferax	62
B. Bi-	

# Verborum.

## B.

<b>B</b> ilioſorum signa	69
Bilioſi quibus morbis dediti	70
Bilioſi jejunium non tolerant	201
Bilis aucta quid efficiat	129
Bilis caloris æſtivi ſoboles	264
Bræſſicæ uſus commodus	99
Boreæ natura, & qualitas	43
Brumalem auram quibus alterare li- ceat	33
Bullulæ vini <i>bonæ notaæ</i> indicia	230
Butyri creber uſus	202

## C.

<b>C</b> antharides quid afficiant	90
Capitis mala unde oriuntur	33
Carnes elixæ	147
Catharrhoſis vinum prohibetur	268
Cathartica	229
Cerebri ursi vis	90
Cereviſia quid	255
Cereviſiæ varia natura, & temperies	256
Cereviſia eſt potus commodus	211
Cereviſia vim nutriendi habet	257

# *Index*

<b>Cerevisia recens improbatur</b>	<b>258</b>
<b>Chylus malus ex bono cibo</b>	<b>190</b>
<b>Cibandi tempus</b>	<b>138. &amp; 139</b>
<b>Cibus quid</b>	<b>84</b>
<b>Cibi usus</b>	<b>91</b>
<b>In Cibo quænam consideranda</b>	<b>93</b>
<b>Cibus bonus quas conditiones habeat</b>	
	<b>95</b>
<b>Cibus malus quis</b>	<b>96</b>
<b>Cibus ante potum assumendus</b>	<b>114</b>
<b>Cibus simplex utilissimus</b>	<b>121</b>
<b>Cibi consueti, an aliis utiliores</b>	<b>185</b>
<b>Cibus &amp; potus quis maximè vitandus</b>	
	<b>119</b>
<b>Cibi medicati</b>	<b>178</b>
<b>Ciborum quantitas</b>	<b>100</b>
<b>Ciborum ordo</b>	<b>111</b>
<b>Ciborum præparatio</b>	<b>145</b>
<b>Cæna an largior esse debeat</b>	<b>160</b>
<b>Cænæ largioris effectus</b>	<b>162</b>
<b>Cometæ morborum prænuntii</b>	<b>56</b>
<b>Commotio concoctionem promovet</b>	
	<b>149</b>
<b>Commotio vehemens noxia</b>	<b>150</b>
	<b>Comple-</b>

# *Verborum.*

Complexionum undè oriatur diversitas	65.& 67
Concoctio quando melior	157
Consuetudo quid	18
Consuetudo est magni momenti, & ponderis	130
Consuetudo an sit servanda, vel mutanda	183
Consuetudo quando varianda	187
Contraindicans	134

## D.

D <sup>e</sup> coctio commendata ad omnia a- quorum vitia	225
Defluxionibus qui sint obnoxii	268
Delectatio an in alimentorum usu ser- vanda vel mutanda?	188
Diætæ conveniens ratio	173
Diæta utilis	164
Dulcia Visceribus gratissima	231
Dulcia in bilem vertuntur	ibid.
Dysenterias quid efficiat	32

## E.

Elementa prima generationum & corruptionum Principia	1
N 4	Eli-

# *Index*

Elixatio quotuplex	147
Epidorpides quid	124
Epilepsia unde inducatur	80
Epilepticis vinum noxiosissimum	268
Errores in senectute commissi maximum nocent	177
Euri effectus & temperies	43
Exercitium consumit	130
Extenuati sensim reficiendi	190
F.	
Fames optimum ciborum condimentum	141
Fames noxia	197
Fames naturam laedit	193
Fames corpora siccatur	196
Fames multoties prodest	195
Famis caninæ curatio	274
Febricitantibus vinum interdicitur	268
Febris quibus curetur	136
Febris maligna potu vini curata	185
Febrium acutissimarum origo	62
Fornacum usus commodissimus	133
Fuliginum quando fiat expulsio.	8
G. G.	

# Verborum.

## G.

<b>G</b> aleni interpretanda est assertio	240
Gallinarum juſcula	96
Gallinarum caro quibus maximè con- veniat	174. & 179
Gallus indicus juvenis est cibus <i>bonæ nota</i>	96
Gravidarum, ſeù prægnantium viētū ratio	177
Gravidis interdum commendatur ve- næſectio	178

## H.

<b>H</b> ætici antenuiſſimo viētu ſint ex- cruciandi	135
Hilaritas quâ vi, & facultate inducatur	245
Hora tempeſtiva prandii	139
Hora cænæ	140
Hordeum frigidum	258
Humidi definitio	4
Hydromel quid	211
Hydrops ab ingluvie inducitur	125
Hyems temperamentum	63
Hyems quando incipiat	58
N 5	Hye-

# *Index*

<b>Hyemis</b> victus ratio	182
<b>Hyeme</b> plus cibi dandum	160
<b>Hygiene</b> in quo consistat	276
<b>Hygiene</b> finis	279
<b>Hypochondriacis</b> noxia	231.235. & 261

## I.

<b>Ecur</b> quid tumefaciat	231
<b>Imbecillitas</b> ventriculi vino corrigitur	273
<b>Indicantis</b> cum contraindicante commensuratio	134
<b>Inedia</b> nociva	197
<b>Infantibus</b> vinum cur non concedendum	266
<b>Influxus</b> syderum qualiter corpora viventium afficiant	48
<b>Ingluvies</b> fame deterior	199
<b>Ingurgitationis</b> ciborum immodicæ effectus	194
<b>Julepi</b>	209
<b>Juvenuni</b> temperamenta	168
<b>Juvenum</b> victus ratio	171

# *Verborum.*

Juvenibus fortioris vini potus noxius  
ibid.

## L.

<b>L</b> Abruscae quid	228
Lac quando in bonum, & quando in malum mutatur sanguinem	191
Lac cum vino sumptum gravissimum malorum causa	275
Lardi creber usus	202
Legumina quosdam optimè nutriunt	99
Lepus marinus	90
Lienis inflatio	231
Liquida prius ingerenda	110
Lipothymiae quid conserat	272. &c
	274
Luminarium defectus	56
Lupuli vis	257. & 259

## M.

<b>M</b> edicamentum quid	85
Medicamentum quomodo differt ab alimento	86
Medicamenta alimenrosa	90
N 6	Me-

# *Index*

- Medulla arietis ibid.  
Mel quibus commodum 175. & 191  
Mel quibus noxiū 99. & 191  
Melancholicorum signa 71  
Melancholici quibus morbis proclives ibid.  
Menstruum corruptum 90  
Mineralia 93  
Mortis naturalis causa 69  
Motus ante cibum utilis 149  
Motus cur cibum debeat sequi ibid.  
Mulsa quid 211  
Mulæ diversitas 260  
Mulsa quibus conveniat 261  
Multi Temperamentum 241  
**N.**  
Nationum distinctio 73. & 74  
Neutrorum vietūs ratio 179  
Nicotianæ vis narcotica 203  
Nicotianæ usus famem, & sitim miti-  
gat ibid.  
Nutricibus cur vini potus interdicatur 268  
Nutrimentum quale esse debeat 85  
**O, Ob-**

# Verborum.

## O.

O	Obstructiones undē proveniant	194
		& 234

Odor vini bona nota	indicium	229.
		& 232

Olei frequens usus		202
--------------------	--	-----

Ophthalmiæ curatio		273
--------------------	--	-----

Oviculae quales tenerrimæ		146
---------------------------	--	-----

Ova bona qualia sint		188
----------------------	--	-----

## P.

P	Anis boni conditiones	95
---	-----------------------	----

Pastus à cibo inchoandus		114
--------------------------	--	-----

Phlegmaticorum signa		70
----------------------	--	----

Phlegmatici multis morbis expositi		71
------------------------------------	--	----

Potus quis, & quotuplex		209
-------------------------	--	-----

Potūs usus & necessitas		212
-------------------------	--	-----

Potūs quantitas		215
-----------------	--	-----

Potūs immodici effectus		216
-------------------------	--	-----

Potus frigidus præteretur calido		248
----------------------------------	--	-----

Potus glacialis damnandus		263
---------------------------	--	-----

Puerorum temperamentum		168
------------------------	--	-----

Puerorum victus		ibid.
-----------------	--	-------

Pueri cur saepius cibandi		125
---------------------------	--	-----

# *Index*

- Pueri læduntur à vini potu 169  
 Puerperarum victus ratio 177. & 179

## *Q.*

- Qualitates binæ uni elemento attri-  
 buuntur 3  
 Qualitates Syderum occultæ 48  
 Quartanæ febris curandi vis 274  
 Quies rerum quid sit 246

## *R.*

- Regiones aëris quot 16  
 Repletio quibus corrigenda 141  
 Repletionis signa 104  
 Repletioni facilius est occurrere, quam  
 inanitioni 101  
 Res non naturales quæ 276  
 Respiratio quomodò fiat à musculis 7

## *S.*

- Sal volatile 143  
 Sanguineorum signa 68  
 San-

## *Verborum.*

Sanguinei quibus morbis dediti	69
Senum temperamentum	168
Senum conveniens diætæ ratio	173
Senes cur facilè jejunium tolerent	126.
	& 201
Sitis quid	249
Solstitialia puncta quando, & quot	58
Somnolenti facillimè jejunant	202
Syderum influxus	51

## T.

T'Abidi beneficio Diætæ diu vivere possunt	108
Temperamenti calidioris homines læ- pius alendi	129
Temperamenti calidioris jejunium ferre non possunt	ibid.
Temperamenti frigidi, & humidi fa- mem diutius tolerant	ibid.
Tempus determinatum in cibo capi- endo observare, an sanitati condu- cat?	138
Terra qualitates	3

**Terra**

# *Index*

- Terra in diversis locis non ejusdem est  
naturæ & qualitat̄is 37  
Timor undē oriatur 71  
Tschernemblense Experimentum 50  
Tormentorum bellicorum explosorum  
efficacia 37

## **V.**

- Venenum quid 36  
Ventorum temperamenta 41. 42.  
& 43  
Ventorum numerus 40  
Venti quomodō diversimodē nos al-  
terent 41. & 42  
Venti ad aëris salubritatem utiles 25  
Veris temperamentum 59  
Ver quando incipiat 57.  
Veris conveniens victūs ratio 180  
Victūs rationis momentum 204  
Victūs rationis rectæ effectus 205. 206.  
Victūs ratio quotuplex 207  
Victūs simplex utilissimus 101  
Vini Temperamentum 240  
Vinum

# Verborum.

Vinum quas differentias habeat?	227
Vinum bonum quas notas habere debet!	229
Vinum quomodo ætate varietur	235
Vina Marvatica inferioris Carniolæ calefaciunt	233
Vinorum Vippacensium interioris Carniolæ laus	ibid.
Vini moderatus usus quæ bona afferrat	215
Vini immoderati usus quæ mala inducat	216
Vinum in Ophthalmiâ quando conveniat	273
Vinum omnium cardiacorum potentissimum	274
Vini calidi usus in intemperie ventriculi frigidâ	273
Vinum vulneribus, & ulceribus utilissimum	239. & 272
Vinum meracum famem caninam soluit	274
Vinum an in alimentorum genere habeatur?	252
	Vinum

*Index Verborum.*

Vinum an medicamentum condimentum, & alimenti vehiculum dicatur ? 272

Z.

Zephyri natura & qualitas 44

O. A. M. D. G.



# ERRATA.

Pag. II. lin. 23. hominibus leg. hominibus  
p. 22 l. 24. diffenda l. differenda p. 43. l. 13.  
eiciendum l. ejiciendum p. 48. l. 9. persecutio-  
nem l. persecutionem p. 49. l. 23. insigni l. in-  
signi p. 65. l. 19. diversitas l. diversitas p. 74.  
l. 13. subiciunt l. subjiciunt p. 107. l. 24. calidâ  
l. calidâ p. 122. l. 16. buos l. quos p. 123. l. 13.  
siciliores l. sicciores p. 145. l. 21. admintudo  
l. adminiculo p. ibid. l. ibid. apitulemur l. opit-  
tulemure p. 147. l. 24. jurulentæ l. assatæ p. 152  
l. 23. vigiliorum tempores l. vigiliarum tem-  
pore p. 153. l. 9. vigiliorum l. vigiliarum pag.  
159 l. 8. monendam l. monenda p. 178. l. 10.  
eadem l. eadem p. 198. l. 8. satiori l. satiari p.  
244. l. 4. carniotia l. Carniola p. 276. l. 11. po-  
themata l. pathemata.

0





